This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`



RECEIVED IN EXCHANGE
FROM
Prof. L.C. Karpinski



QA
35
.G6491

TRIGONOMETRIA
PLANA ET SPHÆRICA
CUM SELECTIS
EX GEOMETRIA ET ASTRONOMIA
PROBLEMATIS.

Accedunt Sinuum Canones, & ex Euclide Propositiones magis necessariæ.

AUCTORE
R. P. (JACOBO) GOODEN
Societatis JESU, in Collegio Anglorum Leodii Matheseos Professore.

LEODII,
Apud J. F. BRONCART. Anno 1704.

Superiorum Permissu.

Prof. L. C. Karpinski
ex
4-30-1924

12 My 24 EHW

PRÆFATIO.

AD Tractatum hunc de Trigonometria conſcribendum impulêre tum ipſius ſcientiæ ſumma neceſſitas & præſtantia, tum multò magis infrequentia ſcriptorum, qui in explicandis Matheſeos rudimentis ſe Tyronum captui ſubmittant. Plerique enim vel brevitatis plus æquo ſtudioſi, Lectores ſuos non tam efficiunt peritos, quàm præſupponunt; vel perplexâ rerum varietate impares diſcentium animos obruunt & confundunt: ita ut difficile ſit quempiam invenire qui omnia Trigonometriæ præcepta clarè ſuccinctèque demonſtret. Hinc fit ut plerique Matheſeos Candidati hæreant in ipſo limine, vel librorum ſubſidio deſtituti, vel nimiâ eorundem mole deterriti.

Ut huic incommodo occurreretur, Opus hoc incipientium ingeniis ita attemperare conatus ſum, ut neque moles faſtidium pareret, nec brevitas obſcuritatem. Selegi proinde ea, quorum notitiam longa multorum experientia docuit neceſſariam; quæ ad finem propoſitum minùs ſunt idonea, utcunque ſcitu digna, penitùs relegavi; quæ verò talia ſunt ut juvare quidem poſſint, non tamen prorſus requirantur, vel obiter perſtrinxi, vel curavi ita à reliquis ſecernenda, ut neque officere poſſint incipienti, neque à proficiente deſiderari.

Trigonometriæ Planæ ſubjunxi problemata ſelecta, quibus præcipuam Practicæ Geometriæ partem ſum complexus; tum ut eſſent exemplorum loco, tum ut Tyrones præſenti laborum fructu recreatos ad magis

ardua confirmarent; idem quoque post Sphæricam absolutam eodem consilio præstiti, problematis illustrioribus ex Astronomia non sine delectu excerptis, iis præsertim quæ in Horographia, aliisque Matheseos partibus usui sunt futura.

Denique ut ad manum haberentur omnia, quæ scientiæ hujus Theoria vel Praxis exigit, selegi ex Euclide elementa maximè necessaria; quibus adjeci Sinuum & Tangentium Canones, cum numerorum Logarithmis, quales ad Geometricas operationes magis obvias requiruntur & sufficiunt. Quæ omnia conatus sum in talem ordinem redigere, ut sperem à quovis posse facilè percipi, & inoffenso pede percurri. Methodum autem quam in præcipuis demonstrationibus secutus sum, antiquâ longè commodiorem esse facilè intelliget, qui horum brevitatem cum aliorum prolixitate contulerit.

Notanda.

1. Elementa eo ordine citantur, quo habentur in selectis ad libri hujus calcem appositis.

2. In propositionibus citandis *p* significat ipsam propositionem, *c* caput, *b* hujus, *P* partem. Reliqua verborum compendia quivis per se intelliget.

3. Proportiones brevitatis causâ sic exprimo, A : B :: C : D. Lege, A est ad B, ut C ad D

4. Quando sermo est de Figura aliqua, quæ in ipso loco non apponitur; respicienda est Figura proximè præcedens, nisi aliud indicetur.

TRACTATUS DE TRIGONOMETRIA.

TRianguli *Reſolutio*, quæ Græco nomine *Trigonometria* dicitur, non aliud eſt quàm alicujus in triangulo propoſito lateris aut anguli inventio: & quia triangula alia ſunt plana ſeu rectilinea, alia ſphærica; hinc fit ut Trigonometria, pro objectorum diverſitate, in *Planam* & *Sphæricam* dividatur.

PARS PRIMA.

DE TRIGONOMETRIA PLANA.

PArtem hanc, quæ de Trigonometriâ planâ tota eſt; in ſex capita dividimus; quatuor priora totam de triangulis rectilineis doctrinam complectentur: in reliquis inſignem Trigonometriæ in quibuſvis dimenſionibus inveſtigandis uſum indicabimus.

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua ad Trigonometriam Planam.

DEFINITIONES.

1. CIrculi circumferentiam dividunt Mathematici in partes 360. quas vocant *Gradus*; unde ſemicircumferentia gradus continet 180. quadrans 90.

2. *Minutum* eſt 60a pars Gradûs: *Secundum* 60a pars minuti: *Tertium* 60a pars ſecundi, & ſic deinceps.

Gradus & minuta scripto sic exprimuntur: 54 gr. 12′. 34″. 17‴. 9⁗. &c. Lege 54 gradus. 12 minuta. 34 secunda. 17 tertia. 9 quarta &c.



3. Angulus aliquis (AMB) notus dicitur, quando cognoscuntur gradus arcûs (AB) subtensi, qui ex (M) anguli vertice, tanquam centro, describitur.

4. *Sinus rectus* (qui simpliciter vocatur sinus) anguli alicujus (AMB, vel BME) est recta (BD) ducta ab arcûs subtensi (AB, vel BE) uno extremo (B) perpendiculariter ad diametrum (AE) transeuntem per ejusdem arcûs alterum extremum (A vel E)

5. *Sinus versus* alicujus anguli (AMB) est diametri pars (AD) intercepta inter sinum rectum (BD) & arcum (AB) angulo subtensum.

6. Sinus anguli recti (AMC) seu *Sinus totus* est ipse circuli radius (CM) ut patet ex defin. 4.

7. *Tangens* alicujus anguli (AMB) est recta (AF) ab arcûs subtensi (AB) uno extremo (A) erecta perpendiculariter ad diametrum (AE) & producta donec occurrat rectæ (MF) ductæ à centro (M) per (B) alterum extremum ejusdem arcûs (AB)

8. Recta (MF) cui tangens sic occurrit, est *secans* ejusdem anguli (AMB)

Nota eosdem semper esse angulorum & arcuum subtensorum sinus, tangentes, & secantes.

9. *Complementum* arcûs vel anguli ad quadrantem vel angulum rectum, est ejusdem arcûs vel anguli differentia (sive per excessum, sive per defectum) à quadrante vel angulo recto. Hinc angulorum (AMC, BME) complementum est angulus (BMC) qui uni (AMC) additus, alteri (BME) subtractus relinquit angulum rectum (CMA, vel CME.) Similiter arcuum (AB, BE) complementum est arcus (CB) eorum differentia à quadrante (CA vel CE.)

Complementi CB, vel CMB sinus Rectus est BG, sinus Versus CG, Tangens CI, Secans MI.

10. Complementum arcûs vel anguli ad semicirculum vel duos rectos, est arcus vel angulus qui reliquus est ad semicirculum vel duos rectos.

In Trigonometria Plana vel citantur, vel præsupponuntur sequentes Euclidis Propositiones; quas proinde diligenter legerit oportet, ac intellexerit quisquis ad hanc Matheseos partem accedit.

Ex Libro 1°. Definitiones & Axiomata. Prop. 1. 4. cum scholio. 5. 6. 8. 9. 10. 12. 13. 15. 22. 23. cum scholio. 27. 29. 32. cum 1. 4. & 5. Corol. 34. 35. 37. 38. 41. 47.

Ex Libro 3°. Definitiones omnes, & Prop. 3. 20. 21. 22.

Ex Libro 5°. Definitiones omnes, & Prop. 7. 12. 15. 16 cum 2 Corol. 17. 18.

Ex Libro 6°. Definitiones omnes, & Prop. 1. 2. 4 cum 1 & 2 Corol. 5. 6. 33.

PROPOSITIO I.



In circulis quibuscunque eadem est ratio radiorum (AB, FH) *ad sinus* (BC, HG) *tangentes*, (ED, KI) *& secantes* (AE, FK) *similium arcuum* (BD, HI) *& angulorum æqualium* (A & F)

Demonstr. In triangulis ABC, FGH anguli A & F sunt (*ex suppos.*) æquales, & anguli C & G (*per* 4 *def. h*) recti, adeoque æquales. Ergo (*per* 2 *Corol. p.* 4. *l.* 6.) AB: FH:: BC: HG.

Eodem modo ostendas tangentes ED, KI, & secantes AE, FK esse inter se, ut sunt radii AD, FI.

PROPOSITIO II.

De inventione Sinuum, Tangentium & Secantium.

Invenire alicujus anguli BAC sinum BC, tangentem ED, vel secantem AE, est determinare proportionem quam habent ad suum sinum totum, seu radium circuli AB; id est,

posito quòd AB semidiameter dividatur in quotcunque lubuerit partes, vg. 10000000, ostendere quot hujusmodi partes contineat sinus, tangens, vel secans cujusvis anguli.

Sinuum inquisitio prolixa est & operosa, neque ad institutum nostrum necessaria, cùm passim prostent tabulæ sinuum proportionem exhibentes. Modus quorumvis arcuum & angulorum sinus investigandi videri potest apud P. Tacquet, Geometriæ Pract. libro 1. cap. 2.

Sinubus semel notis, facilè inveniuntur tangentes & secantes iis correspondentes; Nam in triangulis ABC, AED anguli C & D (*per* 4. & 7. *def. h.*) sunt recti, & angulus A communis: Ergo (*per* 2. *Corol. p.* 4. *l.* 6.) Latus AC quod (*per* 34. *l.* 1.) æquale est sinui complementi (ut patebit comparanti DM cum BG in Fig. 1.) est ad BC sinum anguli A; ut radius AD, ad ED tangentem anguli A. Et AC sinus complementi, ad AD sinum totum, ut AB sinus totus, ad AE secantem anguli A.

Corollarium.

HIs propositionibus nititur constructio tabularum, quarum per Mathesim universam usus est frequentissimus, & vocantur *Sinuum*, *Tangentium* & *Secantium Canones* seu *Tabulæ*, quia sinus &c. pro gradibus singulis & minutis computatos exhibent, id est, numeris exprimunt sinuum &c. proportionem ad suam semidiametrum in partes 10000000 divisam. Omittuntur autem sinus &c. minutis secundis & tertiis debiti, tum ne moles in immensum cresceret: tum quia semidiametro in tot partes dissectâ, istiusmodi minutiæ sine dispendio negliguntur. Quòd siquando calculus accuratior desideretur, sinus &c. quibuscunque minutis debitos methodo infrà præscribendâ facilè obtinebis.

Notandum porrò tabulas in duplici esse genere; aliæ vocantur *Naturales* quæ veram proportionem explicant numeris Geometricè proportionalibus: aliæ *Artificiales* quæ naturalium numerorum loco substituunt Logarithmos, seu numeros Arithmeticè proportionales, de quorum inventione & usu, quia alibi dictum est, nil adjicio.

PRO-

PROPOSITIO III.

Minutis quibuſcunque datis exhibere ſinus ipſis debitos: & converſo notis ſinubus, minuta ipſis correſpondentia invenire.

Requiratur vg. ſinus 30 gr. 5′. 8″. Invento in tabulis, ſinu proximè majore, ſeu ſinu 30 gr. 6′. qui eſt 5015108 & proximè minore, 30 gr. 5′, 5012591; quæratur (*per ſubtractionem*) eorum differentia 2517. Dein fiat ut unum minutum ſeu 60″ ad 2517, ſic 8″ ad aliud. Erit quartus terminus, Fractione ſpretâ, 335; qui additus ſinui 30 gr. 5′ dat 5012926 ſinum quæſitum gr. 30. 5′. 8″.

E converſo. Si dato ſinu aliquo, vg. 2985411, quærantur gradus & minuta ipſi correſpondentia; niſi in tabulis compareat ipſiſſimus ſinus datus, inde deſumantur ſinus proximè minor viz: 17 gr. 22′. ſeu 2984856, & proximè major 2987632. gr. 17 23′. Quorum differentia eſt 2776. Deinde ex ſinu dato 2985411 ſubtrahatur proximè minor 2984856 ut habeatur exceſſus 555. Jam ſi fiat ut 2776 differentia inter ſinus proximos dato, ad 60″: ſic 555 exceſſus ſinûs dati ſuprà ſinum proximè minorem, ad aliud; quartus terminus 12, indicabit quot minuta ſecunda illi exceſſui correſpondeant.

Eodem modo reperiuntur ſinus quibuſvis minûtis debiti; & quod dictum eſt de ſinubus, poteſt ſimiliter tangentibus & ſecantibus explorandis applicari.

Notanda.

1. Ad trianguli cujuſcunque analyſim ſeu reſolutionem prærequiruntur tria cognita, viz: duo anguli cum uno latere, vel latus unum cum duobus angulis, vel tria latera, vel demum in ſphæricis tres anguli. Dixi *in Sphæricis*, quia in triangulis planis ex ſolis angulis determinari poteſt proportio laterum, non tamen (*ut patet ex 4. l. 6.*) eorum quantitas abſoluta. Termini dati ſeu cogniti notari ſolent lineolâ, quæſitus cyphrâ deſignatur, ut videre eſt *in Fig. ſequenti.*

2. In triangulo aliquo dicitur dari *Oppoſitio*, quando ex terminis notis duo opponuntur inter ſe, & tertius opponitur termino quæſito. Unde in triangulo ABC datur oppoſitio, nam latus notum AC oppo nitur angulo noto B, & notum latus BC opponitur angulo quæſito A.



3. Quia omnes anguli cujuſcunque trianguli rectilinei (*per 32. l. 1.*) ſimul adæquant duos rectos, hoc ipſo quòd cognoſcantur quivis duo anguli A & C, innoteſcet tertius B, ſubtrahendo ſummam notam angulorum A & C ex duobus rectis, ſeu gradibus 180. ſint vg. angulus A 38 gr. 19′, angulus C 63 gr. 27′. Erit eorum ſumma 101 gr. 46′; quæ ſubtracta ex gr 180 relinquit 78 gr. 14′. quantitatem tertii anguli B. Hinc 1.° Quotieſcunque dantur duo quivis anguli A & C cum quovis latere BC, ſemper habetur oppoſitio; nam ex duobus angulis datis A & C invenitur angulus B oppoſitus lateri quæſito AC. 2.° Dato angulo B, ut inveniatur alter A, ſufficit quòd detur oppoſitio reſpectu tertii C; nam C invento, etiam A notus erit.





Ex dictis ſequitur oppoſitionem tantùm deeſſe quando dantur tria latera ſine angulo, vel duo latera cum uno angulo; qui ſi contineatur inter latera data (*ut in Prop. 3. cap. 3.*), patet quòd non detur oppoſitio: ſi verò ſit angulus B tantùm adjacens alicui lateri noto AB, patet quòd habeatur oppoſitio reſpectu alterius anguli adjacentis C; quo noto, ſcitur etiam angulus A; adeoque habetur oppoſitio reſpectu tertii lateris BC.



4. Quæſtiones Trigonometricæ reſolvuntur per Regulam Auream; adeoque termini ſunt juxta tenorem iſtius Regulæ diſponendi: ita ſcilicet ut primus ſit ejuſdem rationis cum tertio, & ſecundus ejuſdem cum quarto quæſito.

CAPUT II.

De Analyſi Trianguli rectanguli.

PROPOSITIO I.

In triangulo quovis rectangulo unumquodque latus eſt ſinus anguli ſibi oppoſiti.

Aſſumatur pro radio hypotenuſa AB; & centris A & B



deſcribantur arcus AE, BD, quibus occurrant latera AC, BC producta in D & E.

Patet [*ex Conſtr.*] latus AB eſſe ſinum totum, nam eſt radius utriuſque arcûs. Deinde quia angulus C eſt (*ex ſuppoſ.*) rectus, latus BC ductum à B uno extremo arcûs ſubtenſi BD, eſt perpendiculare diametro AD tranſeunti per D alterum extremum ejuſdem arcûs: ergo [*per 4. def. h*] BC eſt ſinus anguli oppoſiti A reſpectu ſinûs totius AB.

Similiter demonſtres AC eſſe ſinum anguli oppoſiti B, reſpectu ejuſdem radii BA ſeu AB.

PROPOSITIO II.



Si in quovis triangulo rectangulo [ABC.] *quodcunque latus* [AC vel BC] *circa angulum rectum* [C] *aſſumatur pro ſinu toto; erit alterum latus tangens anguli ſibi oppoſiti, reſpectu ejuſdem ſinûs totius.*

Centro A, radio AC, ducatur arcus DC ſubtenſus angulo A.

Quia angulus C eſt [*ex ſuppoſ.*] rectus, latus BC eſt perpendiculare ad diametrum AC, & erigitur à C uno extremo arcus ſubtenſi DC, donec in B concurrit cum AB ductâ ex centro A per D alterum extremum ejuſdem arcûs ſubtenſi DC: ergo [*per 7. def. h*] BC eſt tangens anguli ſibi oppoſiti A, reſpectu radii ſeu ſinûs totius AC. Eodem modo oſtendas AC eſſe tangentem anguli B, reſpectu radii BC.

Corollarium.

Ex propoſitionibus explicatis duæ eliciuntur regulæ, quarum ope quodvis triangulum rectangulum facilè reſolvetur. Prima & principalis vocatur *Regula ſinuum*, quia dependet à proportione, ſeu potiùs identitate, inter trianguli latera & ſinus angulorum oppoſitorum; vocatur etiam *Regula Oppo-*

ſitionis, quia locum habet quotieſcunque termini propoſiti inter ſe opponuntur. Secunda eſt *Regula Tangentium*, ita dicta quòd nitatur proportione quam habent latera circa angulum rectum ad tangentes angulorum oppoſitorum. Hæc Regula adhibetur, quoties non intervenit oppoſitio.

Regula Sinuum.

In omni triangulo rectangulo
Ut quodvis latus, eſt ad ſinum anguli ſibi oppoſiti:
Sic aliud quodvis latus, eſt ad ſinum anguli ſibi oppoſiti.

Et è contrà,

Ut ſinus cujuſvis anguli, ad latus ſibi oppoſitum:
Sic ſinus cujuſvis alterius anguli, ad latus ſibi oppoſitum.

Patet ex 1. *p*: *h*. ubi oſtenſum eſt unumquodque latus eſſe ſinum anguli ſibi oppoſiti.

Regula Tangentium.

In omni triangulo rectangulo
Ut latus unum circa angulum rectum, ad ſinum totum:
Sic aliud latus circa angulum rectum, ad tangentem anguli ſibi oppoſiti.

Et è contrà,

Ut ſinus totus, ad latus unum circa angulum rectum:
Sic tangens anguli, qui alteri lateri opponitur, ad aliud latus.

Patet ex 2. *p*. *h*, ubi demonſtratum eſt utrumlibet latus circa angulum rectum eſſe tangentem anguli ſibi oppoſiti reſpectu alterius lateris circa angulum rectum aſſumpti in ſinum totum.

PROPOSITIO III.

Reſolvere triangulum rectangulum, in quo datur oppoſitio.



1.o In triangulo ABC nota ſint latus AC 100 paſſuum, latus BC 50 paſſuum, & angulus rectus B: quæratur autem angulus acutus A.

Quia datur oppoſitio, adhibenda eſt regula ſinuum, & quia quæritur angulus, termini ſunt ita diſponendi, ut quarto

loco veniat angulus quæsitus A, adeoque secundo loco terminus ejusdem rationis, viz: angulus notus B. Unde primus terminus erit latus AC oppositum angulo noto B, & tertius latus BC oppositum angulo quæsito A. Hæc terminorum dispositio semper est observanda, quando per regulam sinuum quæritur angulus. Fiat itaque

Ut latus AC, 100 *passuum, oppositum angulo noto* B,
Ad sinum anguli noti B, *viz:* 10000000:
Sic latus BC, 50 *passuum oppositum angulo quæsito* A,
Ad sinum anguli quæsiti A.

Peractâ operatione juxta Regulam Proportionis, id est; multiplicato secundo termino [10000000] per tertium [50] & producto [500000000] diviso per primum [100;] quotiens [5000000] erit quartus terminus & sinus anguli quæsiti, qui in tabulis sinuum inventus ostendit angulum A continere gradus 30.

2.° In triangulo EFD dentur angulus D rectus, latus EF 800 pedum, & angulus F 54 gr. 20′. quæratur verò latus ED.

Quia datur oppositio, solutio quærenda est per regulam sinuum; & quia quæritur latus, termini hoc ordine disponentur.

Ut sinus anguli recti D, *seu sinus totus* 10000000
Ad latus oppositum EF 800 *pedum:*
Sic sinus anguli dati F 8124229
Ad latus oppositum & quæsitum ED

Factâ multiplicatione tertii termini per secundum, & divisione producti per primum; invenitur quartus terminus $649\frac{9383200}{10000000}$ Unde concludes latus DE continere pedes $649\frac{9}{10}$ circiter.

3.° Datis angulis A & C cum latere BC, si quæratur latus AC neutri angulo dato oppositum; 1.° ex angulis notis A & C inveniatur (*ut in Not: 3. c. 1.*) angulus tertius B, quo noto, habetur oppositio; unde 2.° per regulam sinuum invenietur latus AC, ut in casu præcedenti.



4.° Notis lateribus AC, BC, cum angulo recto B eorum

uni oppoſito; oporteat invenire angulum C neutri notorum laterum oppoſitum. Quia datur oppoſitio reſpectu anguli A non quæſiti, exploretur per regulam ſinuum, (*ut in caſu* 1. *b*) angulus A; nam illo invento, [*per Not.* 3. *c.* 1.] notus erit angulus quæſitus C.



Tres ſuperſunt caſus, in quibus non datur oppoſitio ſufficiens, ut per regulam oppoſitionis obtineatur ſolutio, ſaltem immediatè, & unicâ operatione. Horum caſuum ſolutionem dabunt Propoſitiones ſequentes.

PROPOSITIO IV.

Datis lateribus (AB, BC) *circa angulum rectum* (B) *invenire quemcunque angulum acutum* (C)

Caſus hic ſolvitur per regulam tangentiam, juxta quam ſunt ſemper ita diſponendi termini, ut primus ſit latus [BC] adjacens angulo quæſito (C;) ſecundus ſinus, totus, ſeu ſinus anguli (B) recti; tertius B latus [BA] oppoſitum angulo (C) quæſito; quartus angulus (C) quæſitus. Sit BC 6000 pedum, BA 10000 pedum. Termini ſic ſtabunt.

Ut latus BC 6000 *pedum*, *Ad ſinum totum* 10000000:
Sic latus AB 10000 *pedum*, *Ad tangentem anguli oppoſiti* C

Operare ex præſcripto Regulæ aureæ, & deprehendes quartum terminum $16666666\frac{4}{6}$ tangentem anguli quæſiti C; cui in tabulis tangentium quæſitæ proximus invenitur numerus 16664748 tangens anguli 59 gr. 2′, adeoque angulus quæſitus C eſt 59 gr. 2′. proximè.

Nota per analyſim trigonometricam rarò reperiri ipſiſſimos ſinus & tangentes, qui in tabulis habentur; accipi proinde debent quæſitis proximi, neglectâ differentiâ, quæ minoro ſemper eſt minor.

PROPOSITIO V.

Iisdem datis, invenire hypotenusam (AC)

Ad casûs hujus solutionem utraque regula adhibetur.



1.o *Per Regulam tangentium, ut in præcedente*, investigatur aliquis angulus acutus (C) quo noto, datur oppositio. Unde

2.o *Per Regulam oppositionis, ut in Prop.* 1. invenitur hypotenusa quæsita AC.

PROPOSITIO VI.

Datâ hypotenusâ (AB) *cum aliquo latere* (CB) *circa angulum rectum* (C) *invenire aliud latus* (AC.)



Solvitur casus hic per *Regulam sinuum* bis adhibitam.

1.o Quæritur angulus A oppositus lateri noto BC & simul invenitur angulus B oppositus lateri quæsito AC.

2.o Ex angulis B & C & latere dato AB, notum fit latus quæsitum AC.

PROPOSITIO VII.

Triangulum resolvere per Logarithmos.

Trianguli resolutio per Logarithmos in eo solo discrepat à praxi hactenus explicatâ, quòd multiplicationis & divisionis loco requirantur additio & subtractio; ut in exemplo constabit.

Sit in triangulo ABC angulus B rectus, angulus C 60 gr. & latus AC pedum 1000, inquiratur autem latus AB



Quia datur oppositio, termini (*per* 1. *b*) sic disponentur.

Ut Anguli recti B *sinus Logarithm.* 10000000

Ad Lateris oppositi AC *Logarith.* 30000000
Sic anguli C *sinus Logarithmicus* 99375306
Ad Logarithmum lateris quæsiti AB.

Secundi & tertii termini Logarithmis in unam summam (129375306) per Additionem collectis, subtrahe Logarithmum primi termini; residuum (29375306) est Logarithmus quarti termini, eique in tabulis invento correspondet numerus 866. Est igitur latus AB pedum 866. Idem est Logarithmorum usus, quando per regulam tangentium instituitur operatio.

Nota Logarithmos arcuum & angulorum quæri debere in tabulis Logarithmicis sinuum vel tangentium; Logarithmos verò lateribus rectilineis correspondentes inveniri in tabula Logarithmica numerorum.

CAPUT III.

De Analysi trianguli obliquanguli.

PROPOSITIO I.



Trianguli cujusvis rectilinei latera sunt inter se ut sinus angulorum oppositorum; & è converso.

Proponantur triangula ABC. Ab extremis alicujus lateris BC ducantur perpendicula BO, CE ad latera opposita AC, AB, si opus fuerit producta. Erunt in triangulis rectangulis BOC, CEB, (*per p. 1. c. 2.*) Latera BO, CE sinus angulorum sibi oppositorum C & B, idque respectu ejusdem sinûs totius BC. Ostendi igitur debet latus AB oppositum angulo C, esse ad BO sinum ejusdem anguli C, sicut latus AC oppositum angulo B ad CE sinum anguli B: & è converso.



In triangulis AEC, AOB, anguli E & O sunt æquales, utpote (*ex constr.*) recti: & angulus A vel communis est ut *Fig.* 1. & 2. vel (*per* 15. *l.* 1.) utro-

utrobique æqualis, ut in *Fig.* 3. Ergo (*per* 2. *Corol. p.* 4. *l.* 6.) AB: AC :: BO : CE, & (*permutando*) AB : BO :: AC : CE. Ergo (quia similis est in reliqua laterum si nuumque comparatione demonstratio) in omni triangulo obliquangulo



eadem est ratio inter latera & sinus angulorum oppositorum.

Observari hic debet quòd proportio hæc æqualiter subsistat, sive omnes anguli sint acuti, sive aliquis sit obtusus, qualis est angulus BCA *in Fig* 2.

Corollarium.

Ex hac propositione deducitur pro resolutione trianguli obliquanguli sequens generalis.

REGULA SINUUM SEU OPPOSITIONIS.

In omni triangulo obliquangulo
Ut quodvis latus est, ad sinum anguli sibi oppositi:
Sic quodvis aliud latus est, ad sinum anguli sibi oppositi.

Et è contrà,

Ut sinus cujusvis anguli, ad latus sibi oppositum:
Sic sinus cujusvis alterius anguli, ad latus sibi oppositum.

Notanda.

1. Nomine trianguli obliquanguli hîc intelligimus omne triangulum quod vel non habet, vel nescitur habere aliquem angulum rectum.

2. Diligenter recolenda sunt notanda cap. 1. & quæ dicta sunt Prop. 3. cap. 2. de resolutione trianguli rectanguli habentis oppositionem; nam ista omnia triangulis obliquangulis possunt eodem modo applicari.

PROPOSITIO II.

Resolvere triangulum obliquangulum, in quo datur Oppositio.

Quia (ut ostendimus) Regula Sinuum etiam in obliquangulis locum habet, methodus pro rectangulis superiùs (*p.* 3

c. 2.) tradita, est etiam in obliquangulis observanda, quoties intervenit Oppositio; quæ extra duos casus, semper datur sufficienter; ut per regulam sinuum, saltem bis adhibitam, eruatur quæsitum. Satis proinde fuerit duos istos casus attingere, in quibus oppositio desideratur. Priùs tamen

Nota 1.° quòd si detur aliquis angulus obtusus, accipi pro eo debeat in operatione, sinus complementi ad duos rectos: vg. Si notus sit angulus 137. gr. 15′; quæri debet in tabulis & in operatione adhiberi sinus 42 gr. 45′.

Nota 2.° quòd si dentur duo latera AB, AC cum angulo adjacente B, casus hic, tametsi interveniat oppositio, determinatam solutionem non admittat, nisi aliunde cognoscatur species anguli C. Nam, quia latus AB & angulus B sunt communia triangulis ABC, ABD, & latera AC, AD possunt esse æqualia; hæc non sufficiunt ad determinandum utrùm tertium latus sit BC, an verò BD; nec quales sint reliqui anguli.



Quòd si aliunde scias speciem anguli C, difficultas evanescit; nam in triangulo minore ABC semper est obtusus angulus C, in majore ADB semper est acutus D. quod sic ostenditur.

In triangulo ACD latera AC, AD sunt (*ex suppos.*) æqualia: ergo (*per* 5. *l.* 1.) æquantur anguli ACD, ADC: ergo, cùm simul sint (*per* 32. *l.* 1.) minores duobus rectis, singuli sunt acuti: ergo angulus D est acutus; &, quia ACD est etiam acutus, angulus ACB (*per* 13. *l.* 1.) est obtusus.

PROPOSITIO III.

Datis duobus lateribus (AB, BC) *cum angulo comprehenso* (B) *invenire tertium latus* (AC) *& reliquos angulos* (A & C)

Ab angulo aliquo ignoto A dimitte perpendiculum AD

ad latus oppositum BC, si opus sit, productum. Sic fient duo triangula BAD, CAD rectangula in D.



Quoniam in triangulo ABD, noti sunt anguli, D (*ex constr.*) rectus, & ABD, qui vel idem est cum dato ABC, vel (*per 13. l. 1.*) dati complementum ad duos rectos; notus est etiam tertius angulus BAD. Ex omnibus angulis & latere dato AB (*per regulam sinuum*) inquirantur latera AD & BD.



Invento BD, scitur etiam DC: ergo in triangulo ACD habentur latera duo AD, CD circa angulum D (*ex constr.*) rectum. Ex quibus (*per regulam tangentium*) noti fiunt anguli ACD, & CAD; & ex his omnibus (*per regulam sinuum*) reperitur latus AC.

Nota 1.° quòd si angulus datus ABC sit obtusus, accipi debeat in prima operatione angulus ABD ejus complementum ad duos rectos.

Nota 2.° quòd si inveniatur latus BD minus latere BC dato, perpendiculum cadat intrà; aliàs extra triangulum. Hoc diligenter est observandum ut constet utrùm additione, an subtractione opus sit, ut ex inventis eliciantur quæsita.

LEMMA I.

Si ad trianguli (ABC) *latus maximum* (BC) *ab angulo opposito* (A) *ducatur perpendiculum* (AD) *cadet intra triangulum.*



Si neges, cadat extra ad E; erit angulus E rectus: ergo (*per 47. l. 1.*) quadratum AC æquatur quadratis AE, EC adeoque majus est quadrato BC: ergo linea AC est major lineâ BC. quod est absurdum, quia BC supponitur latus maximum trianguli ABC.

LEMMA II.

Si ad trianguli (ABC) *latus maximum* (BC) *demittatur perpendiculum* (AD,) *erit basis* (BC) *ad aggregatum reliquorum laterum* (AB, AC:) *ut differentia horum laterum, ad differentiam segmentorum baseos.*

Centro A, intervallo minimi lateris AC, describatur circulus, cui occurrat in G, latus BA productum, quia æqualia sunt AC, AG, AF, patet BG esse aggregatum laterum AB, AC, & lineam BF esse eorundem differentiam. Item quia (*per* 3. *l.* 3.) æqualia sunt ED, DC, patet BE esse differentiam inter baseos segmenta BD, DC. Ostendi igitur debet quòd sit BC : BG :: BF : BE. Junge puncta G, C, & F, E.



In triangulis GBC, EBF angulus B est communis, & angulus G cum FEC (*per* 22. *l.* 3.) æquatur duobus rectis. Sed FEC cum FEB (*per* 13. *l.* 1) facit duos rectos: ergo G & FEB sunt æquales: ergo (*per* 2. *Corol. p.* 4. *l.* 6.) BC: BG:: BF: BE.

PROPOSITIO IV.

Datis tribus lateribus investigare angulos.

1.o Si aliqua duo latera AB, AC sint æqualia, ab angulo A inter illa comprehenso, ad basim BC bisectam in D, ducatur perpendiculum AD. Sic fient duo triangula X & Z sibi mutuò æquilatera, ut patet: & quia AB, AC ponuntur æqualia, anguli oppositi ADB, ADC (*per* 8. *l.* 1) sunt æquales, adeoque recti: ergo in triangulo X cognoscuntur latera AB & BD dimidium dati BC, cum angulo recto D. Ex his, (*per regulam sinuum*) explorantur anguli BAD, adeoque & ABD, quibus (*per* 8. *l.* 1.) æquantur anguli CAD, ACD



2.o Si latera omnia sint inæqualia, vg. BC pedum 21, AB 13, AC 20. demisso ab angulo A ad latus maximum BC, perpendiculo AD; erit ut basis BC (seu 21) ad aggregatum laterum AB, AC [seu 33:] sic horum laterum differentia (seu 7) ad differentiam segmentorum BD, DC. Ductis igitur 7 in 33, & producto 231 diviso



per 21, quotientem 11 aufer à basi BC 21. Residui dimidium 5 erit segmentum minus DB, adeoque segmentum majus D est 16. Ergo in triangulo Z nota sunt latera AC, DC, cum angulo recto ADC, & in triangulo X latera AB, BD cum angulo recto ADB; ex his (*per regulam sinuum*) innotescent anguli A, B, C.

Nota ea omnia, quæ [*Prop. 7. cap. 2.*] *dicta sunt de usu Logarithmorum in resolutione trianguli rectanguli, esse etiam de obliquangulis intelligenda.*

Hic etiam notari debet quòd si, multiplicatis inter se secundo & tertio termino, prodeat numerus minor primo termino; quæsitum sit Fractio, cujus numerator est productus inventus, denominator verò primus terminus.

Exemplum. Detur in triangulo ABC, angulus B rectus, ejusque sinus 10000000; latus AC 8 pedum; & angulus A 5 gr. 44′ 21″, cujus sinus est 1000000; quæratur autem latus BC. Secundo termino 8, ducto in tertium 1000000, habetur Productus 8000000 minor primo termino 10000000; unde latus quæsitum BC est minus pede, seu Fractio pedis quæ sic exprimitur $\frac{8000000}{10000000}$ vel sic $\frac{8}{10}$ assumpto nimirum in denominatorem primo termino, in numeratorem Producto invento.



Si, dum per Logarithmos instituitur operatio, summa secundi & tertii termini sit minor primo; erit quartus terminus Fractio, cujus denominator est numerus correspondens Logarithmo primi termini, numerator verò numerus correspondens summæ per secundi & tertii termini additionem inventæ.

CAPUT IV.

De analysi triangulorum per scalam & quadrantem.

PROPOSITIO I.

Constructio Scala Geometrica.

Nomine *Scala* hîc intelligitur regula quævis in 10 partes

æquales divisa secundùm longitudinem; lineis 0. 1. 2. 3. &c. à latere ad latus ductis; & in 10 partes æquales secundùm latitudinem, lineis ductis ab extremo ad extremum. Subdividitur etiam suprema decima pars in alias 10 partes æquales, per lineas obliquas & parallelas, 0. 2. 4. 6. &c. Demum lineis longioribus intermediis adscribuntur in regulæ extremo notæ, 2, 4, 6 &c. & perfecta est scala.

Tota scalæ longitudo accipitur pro 1000 partibus, unde pro pluries 1000 partibus est pluries repetenda. Pro centenis assignantur novem decimæ partes scalæ. Pro decadibus relinquitur una decima pars in suas decades distributa. Numerantur unitates in lineis quæ unitatum notis designantur.

Ex: gr: Ko exhibet partes 300: K8 partes 380 : RT partes 354 : *ei* unam partem : *xz* duas : *sn* tres : *lm* septem &c.

Quòd partes centenæ & decades rectè numerentur, patet ex constructione scalæ; quòd autem rectè numerentur unitates, sic ostendo.

In triangulo *Io*, *o*, *o* ducitur latus *ie* parallelum [*ex constr.*] lateri *Io*, *o*: ergo (*per* 1. *Corol. p.* 4. *l.* 6.) *ie* : *Io*, *o* :: *oe* : *oo*. sed *oe* est (ex constr.) decima pars rectæ *oo* : ergo *ie* est decima pars rectæ *Io*, *o*. Eodem modo probatur *xz* esse $\frac{2}{10}$, *ns* $\frac{3}{10}$ *lm* $\frac{7}{10}$ ejusdem rectæ *Io*; & sic de cæteris.

PROPOSITIO II.

Resolvere quodcunque triangulum per Scalam & Quadrantem.

Usus Scalæ & Quadrantis in triangulorum resolutione ad quatuor casus reducitur; nec refert utrùm triangulum propositum sit rectangulum an verò obliquangulum; nam eadem in utroque methodus observatur.

Primus Casus.

Ex aliquo latere (AB) *& duobus angulis* (A & B) *reliqua latera invenire.*



Contineat latus datum AB pedes 143. Angulus A 36 gr. 9′. Angulus B 99 gr. 12′.

Desume ex scala lineam *a b* dato lateri AB similem, id est, continentem tot scalæ partes quot pedes continet AB. Dein lineâ *a b* in chartam translatâ (*per schol.* 23. *l.* 1.) effice angulos *a* & *b* æquales datis A & B, & perfice triangulum *abc* quod (*per* 2. *Corol. p.* 4. *l.* 1.) erit simile dato ABC. ergo (*per* 4. *l.* 6.) *ab* : AB :: *bc* : BC, & *ab* : AB :: *ac* : AC. ergo etiam BC, AC tot pedes continent, quot scalæ partes continent *bc*, *ac*. Has igitur circino exceptas scalæ admove, & innotescent latera BC, AC. viz: BC 120 pedum : AC 201 pedum.

Nota perinde esse quinam duo anguli dentur; nam ex quibusvis duobus datis tertius cognoscitur.

Secundus Casus.

Ex duobus lateribus [AB, AC] *& angulo contento* [A] *invenire aliud latus* [BC] *& reliquos angulos.*



Accipiantur ex scala *ab*, *ac* similes datis AB, AC; factoque (*per schol.*

23. *l.* 1.) angulo *bac* æquali dato BAC, jungantur puncta *b* & *c*. Erunt (*per* 6 *l.* 6.) triangula *abc*, ABC similia; adeoque *ab*: AB:: *bc*: BC. Ergo *bc* scalæ applicato invenietur latus BC quæsitum.

Deinde quia latera triangulorum *abc*, ABC sunt similia, anguli B, *b*, & C, *c*, oppositi similibus lateribus AC, *ac*, & AB, *ab* (*per* 5. *l.* 6.) sunt æquales. Inventis igitur [*per schol. p.* 23. *l.* 1.] angulis *b* & *c*, noti erunt anguli quæsiti B & C.

Tertius Casus.

Datis omnibus lateribus invenire angulos.

Si ex scala demas tres lineas similes lateribus datis, triangulum ex eis [*per* 22. *l.* 1.] constitutum, erit (*per* 5. *l.* 6.) æquiangulum triangulo dato. Unde si trianguli istius angulos explores [*per schol. p.* 23. *l.* 1.] inde cognoscentur anguli quæsiti.

Quartus Casus.

Datis duobus lateribus cum aliquo angulo adjacente, reliqua invenire.

Hic est casus ille indeterminatus de quo dictum est Prop. 2. cap. 3. Vide Figuram istic positam, cui si ex scalæ partibus similem confeceris, erunt (*per* 5. *l.* 6.) triangula æquiangula, & latera proportionalia: adeoque tertium latus BC vel BD, & anguli non dati, modo superiùs tradito, noti fient. Casus hic infrequens est, & ad trianguli analysim ferè inutilis; unde non est cur illi diutiùs immoremur.

CAPUT V.

Longitudinum & Altitudinum Dimensio.

Trigonometriæ Planæ hactenùs explicatæ ut usus constet, praxisque evadat facilior, problemata Geometrica adjungere visum est; pauca quidem pro rerum varietate, talia tamen, ut præcipuam scientiæ illius partem complectantur.

Distan-

Distantiarum seu Longitudinum Horizontalium investigatio.

PROBLEMA I.

Metiri distantiam ex una tantùm parte accessibilem.

PRIMUS MODUS.

Sit talis distantia BA, latitudo Fluminis vg. accessibilis tantùm in B. eligatur aliqua alia statio C, & mensuretur mechanicè stationum intervallum CB, quod oportet modiocre esse respectu distantiæ quæsitæ BA. Dein quadrante explorentur anguli C & B; ex quibus & latere CB notis, invenietur (*per. 2. c. 3. h.*) latus BA Fluvii latitudo quæsita.



Nota 1.° Ad intervallum aliquod mechanicè mensurandum adhiberi posse vel catenulas ferreas, vel decempedam ligneam, vel aliud ejusmodi instrumentum. Inter mensurandum autem curare debet mensor ut pergat in directum, sequendo semper eandem lineam rectam; ad quod juvabunt duo baculi modico intervallo distantes, erecti vg. in C & O, à quibus ita retrocedat mensor, ut oculus ejus constanter maneat in eadem linea cum utroque baculo.

Nota 2.° Hujusmodi trianguli, quod scil: vel horizontale est, vel ad horizontem inclinatur, angulos exquiri posse ope quadrantis vel semicirculi, circa cujus centrum fit regula mobilis dioptris instructa. Ex: gr: Si requiratur angulus ACB; in puncto C ita statue centrum quadrantis, ut per dioptras regulæ superimpositæ ejus lateri CO, conspiciatur punctum B. Dein, quadrante manente in eodem situ, moveatur regula donec per dioptras appareat punctum A; & erit arcus LO, cujus gradus notantur in margine instrumenti, mensura anguli quæsiti ACB.

Nota 3.° Praxim explicatam adhiberi perinde posse, sive distantia mensuranda sit horizonti parallela, sive ad illum inclinata.

SECUNDUS MODUS.



Sit, ut priùs, BA latitudo Fluminis; BC altitudo oculi mensoris. In triangulo ABC angulus B est rectus, angulus C invenietur ope quadrantis, & latus BC vel notum est, vel facilè innotescet. Ex his tribus (*per. 3. c. 2. b*) notum fiet latus BA, distantia quæsita.

Nota 1.° Si distantia proposita BA sit magna, expedire ut mensor conscendat locum editum, tumulum vg. vel turrim, cujus nota sit altitudo.

Nota 2.° Angulum ACB [idemque est in omnibus triangulis, quorum plana sunt horizonti perpendicularia] inquiri debere quadrante ascurato, à cujus centro C dependeat perpendiculum CO. Nam si quadrantis centrum C ita admoveas oculo, ut per latus CL conspicias punctum A, arcus LO à perpendiculo abscissus, indicabit quantitatem Anguli C.

PROBLEMA II.

Metiri longitudinem penitùs inaccessam.

PRIMUS CASUS.



Proponatur distantia inaccessa BA jacens in directum respectu mensoris constituti in C. erit CBA linea recta, & CB, CA distantiæ accessibiles in C; quibus [*per Probl: præced:*] inventis, ex CA subtrahatur CB, eritque residuum BA distantia quæsita.

SECUNDUS CASUS.



Sit longitudo proposita BA, obversa mensori existenti in C. Erunt CA, CB duæ distantiæ accessibiles in C; quas si [*per Probl: præced:*] investigaveris, notumque feceris quadrante vel semicirculo angulum C; cognoscentur in triangulo ACB latera CA, CB, & angulus contentus C. Ex his (*per. 3. c. 3. b*) invenietur longitudo quæsita BA.

PROBLEMA III.

Duarum Urbium distantiam inquirere.

Sint duæ civitates A & B ex planitie vel intermediâ vel adjacente conspicuæ, in qua eligantur duæ stationes C & D, quarum intervallum CD mensuretur vel mechanicè, vel *per Probl.* 1.



Deinde exploratis in stratione C angulis ACD, BCD, & in stratione D angulis CDA, CDB [quod fieri debet, si distantia AB sit notabilis, quadrante magno & exquisito;] quæratur resolvendo triangulum ADC, latus AD; &, resolvendo triangulum BDC, latus BD.



Denique notis in triangulo ADB lateribus AD, BD, cum angulo comprehenso ADB [qui in 1.o & 2.o casu conflatur ex angulis CDA, CDB priùs inventis, & in 3.o casu habetur subtrahendo CDA ex CDB] invenitur latus AB distantia quæsita.



Quod dictum est de duarum Urbium distantia, eodem modo applicatur quorumvis locorum intervallo.

Altitudinum mensura.

PROBLEMA IV.

Metiri altitudinem accessibilem in Plano positam.

Sit AB altitudo mensuranda; Mensor in D, ejusque oculus in C. Ex C intelligatur duci rectæ CE parallela & æqualis lineæ horizontali DB; & erit in triangulo ACE angulus E rectus, utpote æqualis (*per.* 27. *l.* 1.) angulo B (*ex suppos.*) recto. Deinde quia lineæ FL, AB sunt horizonti perpendiculares, adeoque (*per.* 6. *l.* 11.) parallelæ, anguli A & CFL sunt (*per.* 27. *l.* 1.)



æquales ; invento igitur per quadrantem CFL, notus erit angulus A Denique latus CE, seu DB cognoscetur modo aliquo superiùs explicato. Ex his tribus reperietur (*per. 3. e. 2. h*) latus AE ; cui addatur EB seu CD altitudo oculi mensoris, & nota erit AB altitudo quæsita.

Assumpsi lineas CE, DB, item CD, ED esse æquales, quod sic ostendo. Quia CD, EB sunt perpendiculares horizonti, sunt (*per. 6 l. 11.*) parallelæ. Sed etiam CE, DB sunt (*ex suppos.*) parallelæ : ergo (*per. 35. def. l. 1.*) DBEC est parallelogrammum : ergo (*per. 34. l. 1.*) latera ejus oppositа CE, DB, & CD, EB sunt æqualia.

Nota quòd, si explorans distantiæ angulum CAE collimes in aliquod punctum A unde demissum perpendiculum AB cadit intrà ipsam turrim ; tunc distantiæ DO, mechanicè vel aliter notæ, adjicienda sit linea OB, quæ inter perpendiculum & exteriorem turris superficiem intercipitur.

PROBLEMA V.

Altitudinem accessibilem sine trianguli resolutione invenire.

Quia non semper præsto sunt tabulæ, nec vacat semper analysim Trigonometricam adhibere, subjicio alios modos faciles, quibus obviæ altitudines inquirantur.

PRIMUS MODUS. *Vide fig: prac:*

Per quadrantis dioptras collimans in Turris AB fastigium A, accede vel recede donec angulus CFL, adeoque & angulus A sit 45 gr. Tunc metire distantiam CE, eique adjice CD seu EB ; eritque summa AB altitudo quæsita.

Nam in triangulo ACE angulus E est rectus : ergo (*per 1. Corol. p. 32. l. 1.*) anguli A & C simul adæquant unum rectum. Cùm igitur A sit 45 gr. anguli A & C sunt æquales : ergo (*per 6. l. 1.*) æquantur latera AE, CE. Cætera per se patent.

SECUNDUS MODUS.

Baculum FD in æquales partes divisum erige perpendiculariter in D ; & erunt, sole lucente, duo triangula similia ABC, FDE. Nam anguli B & D sunt recti, C & E sunt

anguli ejuſdem altitudinis ſolis: ergo (*per* 2. *Corol. p.* 4. *l.* 6.) ut ED umbra baculi, eſt ad FD baculi longitudinem: ſic BC umbra turris, ad AB turris altitudinem.



Idem faciliùs obtinebis metiendo turris umbram quando ſol altus eſt 45 gr. Tunc enim turris umbra, & altitudo ſunt æquales, ut ex dictis patet. Hæc autem ſolis altitudo obſervari poteſt Quadrante vel Analemmate; vel [ſi iſta deſint] deſcribendo in plano horizontali circulum, in cujus medio erigatur ſtylus radio æqualis, planoque circuli rectus; nam ſtyli hujus umbra attinget præcisè circumferentiam circuli, quando ſol 45 gradus ſupra horizontem attollitur.

PROBLEMA VI.

Metiri altitudinem acceſſibilem, quamvis non ſit in plano.

Sit Turris AB (vide *Fig.* 2. *Probl.* 10.) in qua ſi lapidum junctura non ſint horizontales, ducatur linea horizontalis CD, quæ menſuretur mechanicè, ſicut & altitudo IC. Dein ex C obſervetur quadrante angulus CAD, ex quo & angulo recto D, & latere DC notis, invenitur (*ut ſuprà*) AD; cui addita CI vel DB, dat AB altitudinem quæſitam.

Eodem ferè modo Menſor in turris faſtigio poſitus inveniet illius altitudinem; eademque praxis inſervire poteſt ad explorandam, foſſæ vg. profunditatem.

PROBLEMA VII.

Metiri altitudinem inacceſſam.

PRIMUS MODUS.

Per *Probl.* 2. exploret Menſor ſuam ab altitudine propoſita diſtantiam; & eâ notâ, *per Probl.* 4. vel 5. ipſam altitudinem.

SECUNDUS MODUS.

Inventio in ſtatione C angulo CAB, retrocede ad diſtantiam ſatis magnam (ut ſit inſtrumento perceptibilis differentia angulorum CAB, DAB) *vg.* ad paſſus 150, in D: & in D, notum fac angulum DAB.



Jam quia angulus B eſt rectus, patet (*ex 2. c. 2. h*) lineas CB, DB eſſe, reſpectu ſinûs totius AB, tangentes angulorum CAB, DAB. Horum igitur tangentibus quæſitis, fiat ut DC tangentium differentia, ad AB ſinum totum: ſic paſſus 150, ad aliud; & erit quartus terminus altitudo quæſita AB.

TERTIUS MODUS.

Sit alicujus Montis altitudo perpendicularis AB intra ipſius viſcera inacceſſibilis & inviſibilis. Eligantur duæ ſtationes collaterales C & D, quarum intervallum CD, ſicut & anguli DCA & D inquirantur ut ſuprà. His notis in triangulo DAC, inveniatur latus AC. Deinde in triangulo CAB, ex angulo recto B; & latere oppoſito AC, & angulo CAB vel ACB qui quadrante explorabitur, inveſtigetur AB altitudo quæſita.



Corollaria.

1. Ex iiſdem notis in triangulo CAB innoteſcet latus CB, diſtantia Menſoris ab AB perpendiculari montis altitudine.

2. Eodem modo metiris nubis altitudinem: debent tamen, propter nubis mobilitatem, eſſe duo Menſores; unus in C, alter in D, qui ſimul, dato ſigno, in nubem collimantes, obſervent angulos C & D.

Notandum.

Nisi summa adhibeatur cura, facilè erratur in angulis investigandis, unde in reliquam operationem error frequenter derivatur. Ad incommodum hoc avertendum, duo præcipuè conferent; Primum, si in instrumentorum delectu & usu magna adsit diligentia: Secundum, si assumatur stationum intervallum ita proportionatum longitudini mensurandæ, ut anguli fiant sensibiles. Hinc stationes collaterales aliis præstant, quia minori indigent intervallo, ut angulorum quantitas determinetur. Hinc etiam praxis ultima, quâ montis altitudinem investigavimus, videtur reliquis anteferenda.

PROBLEMA VIII.

Distantias & altitudines per Scalam Geometricam invenire.

Longitudines hactenus investigavimus resolvendo triangulum aliquod, cujus nota fuerunt vel duo latera cum uno angulo, vel anguli duo cum aliquo latere. Si idem triangulum, quodcunque sit, resolvatur methodo explicatâ *Cap.* 4. eadem Problematis solutio per scalam obtinebitur.

PROBLEMA IX.

Idem præstare per Crucem Geometricam.

Crux Geometrica (quæ vulgò *Baculus Jacobaus* dicitur) constat duabus Regulis DE, FC in æquales partes divisis, & ita inter se aptatis, ut (sive brachium DE moveatur sursum, sive deorsum, sive protrudatur, sive retrahatur) semper efficiant angulum rectum I.

PRIMA PARS.

Sit mensuranda distantia CB. In C erigatur perpendiculariter (quod fit applicando normam vel quadrantem lateribus instrumenti) regula FC: alterum verò brachium DE impellatur vel retrahatur, donec per extrema F & E appareat punctum B. Sic fient duo triangula FIE, FCB habentia angulum ad F communem, & angulos FIE, FCB (*ex constr.*) rectos, adeoque



PROBLEMA XI.

Agri vel cujuſvis Figuræ rectilineæ Ichnographiam deſcribere, & dimenſiones invenire.

In agro duas tales ſtationes elige, ut recta per eas ducta in nullum agri angulum incurrat; & menſurato mechanicè, vel aliter, ſtationum intervallo, ex ſcala deſumatur recta FG continens tot ſcalæ partes, quot paſſus vel pedes continet illud intervallum.



Dein rectam FG in tabulam transfer, quam ſtatue horizontaliter in alterutra ſtatione, ita ut lineæ FG unum extremum F immineat dictæ ſtationi, & aliud extremum G in alteram ſtationem B dirigatur ope regulæ dioptris inſtructæ. Tunc regulam dirigens à puncto F ad ſingulos agri angulos, duc verſùs eos per latus regulæ, rectas FA, FB, FC, FD, FE.

Ad eundem modum collocatâ tabulâ horizontaliter in ſecunda ſtatione, ita ut G immineat huic ſtationi, & F in alteram dirigatur; ex G ducantur verſùs ſingulos agri angulos rectæ occurrentes prioribus in punctis A, B, C, D, E, quæ jungantur lineis AB, BC, CD, DE, EA; & erit figura ABCDE Ichnographia quæſita, agro ſeu plano propoſito omnino ſimilis. Unde

1.° Quot ſcalæ partes continet quævis linea in tabula, tot paſſus vel pedes continet agri latus correſpondens.

2.° Quot ſcalæ partes quadratas continet Ichnographia; tot ſunt paſſus vel pedes quadrati in agro menſurando.

3.° Anguli in tabula æquantur angulis in agro correſpondentibus; unde (*per ſchol. 23. l. 1.*) ex tabula quilibet agri angulus cognoſcetur.

Ratio horum omnium eſt, quòd triangula quæ in tabula deſcribuntur, ſint (ut patet *ex conſtr.*) ſimilia totidem triangulis in agro; adeoque omnes lineæ in tabula ſunt ad agri latera correſpondentia, ſicut FG ad ſtationum intervallum. Sed FG (*ex conſtr.*) continet præciſè tot ſcalæ partes, quot pedes vel paſſus continet ſtationum diſtantia: ergo &c.

CAPUT VI.

Inveſtigantur Diametur & Circumferentia Sphæra Terreſtris: item diſtantia Solis & Lunæ à Terra, eorumque diametri.

Legantur ex Euclidis libro 3. Prop. 18. 20. 21. 22. 31. 32. 36 cum Corollariis.

Ex libro 5. Prop. 7. 9. 11.

Ex libro 6. Prop. 14. 16. 17. cum Corollariis.

PROBLEMA I.

Terræ diametrum invenire.

Eligatur juxta mare mons excelſus, cujus altitudo perpendicularis ſit AB, quæ producta tranſit per terræ centrum Z: ſit etiam AC radius viſualis horizontem ſtringens, id eſt ſphæram terreſtrem tangens in C.

Quadrante magno & accurato exploretur angulus A; quod ut ſecuriùs fiat, captetur ortus vel occaſus alicujus ſtellæ, ſeu potiùs Solis vel Lunæ, quando extremus tantùm aſtri limbus ſupra horizontem eminet. Nam tunc collimans in aſtrum, ſimul collimabis in aliquod horizontis punctum C. Quæratur etiam (*per Probl. 7. c. 5.*) montis altitudo AB, quod fiat quàm accuratiſſimè.

Noto in triangulo ACZ angulo A, quia angulus C (*per 18. l. 3.*) eſt rectus, notus etiam erit (*per 4. Corol. p. 32. l. 1.*) angulus Z: ergo (*per idem*) nota eſt in triangulo CZB ſumma angulorum CBZ, BCZ; qui cùm, ob laterum ZB, ZC æqualitatem, ſint (*per 5. l. 1.*) æquales, utriuſque ſeorſim quantitas cognoſcetur. Subtrahe jam angulum ZCB ex recto ACA, & reſtabit angulus BCA notus. Adeoque in triangulo CBA noti ſunt anguli A, BCA, & (*per 4. Corol. p. 32. l. 1.*) angulus ABC, cum latere AB, ex quibus invenietur latus AC.

Denique in triangulo ACZ, ex latere AC & omnibus angulis deprehenditur latus CZ terræ ſemidiameter, quæ duplicata dat diametrum quæſitam.

Notanda.

1 Supponit hoc Problema quòd Terra, seu moles Terraquea, habeat figuram Sphæricam; quæ veritas variis modis solet demonstrari, 1.° Ex umbra terræ, quæ in Eclipsi Lunari semper apparet circularis. 2.° Quia ubicunque fueris, horizon visibilis circulo terminatur. 3.° Quia montium sublimiorum vertices soli à longè conspiciuntur; accedentibus verò deteguntur paulatim, idque eodem modo à quacunque tandem parte accesseris. 4.° Ex siderum motu, ortu & occasu respectu locorum diversorum, aliisque cæli phænomenis, quæ (ut patebit consideranti) quamcunque figuram non Sphæricam terræ attribueris, fierent longè aliter, quàm de facto contingunt.

2. Supposuimus hîc, quod & superiùs sæpè, centrum gravium idem esse cum centro terræ. Hoc autem est ab experientia manifestum; nam videmus gravia ubivis locorum ferri deorsum motu ad horizontem perpendiculari, & ædium parietes citò collabi, si à situ perpendiculari declinent. Hæc fusiùs explicata vide apud Ricciolum *in Almagesto. libro 2. cap. 1. §. 4.*

3. Supposuimus *cap. 5.* in altitudinum inquisitione angulum ad horizontem CBA esse rectum; & meritò, quia in distantiâ non valdè magnâ differentia est insensibilis. Est tamen reverà recto major; nam cum angulo acuto CBZ adæquat (*per 13. l. 1.*) duos rectos. Habetur autem justa mensura anguli CBA, ipsi addendo dimidium anguli Z.

4. Observari etiam debet, quòd distantia quæ invenitur per analysim trianguli plani, semper sit via brevissima, seu linea recta connectens ea loca, quorum distantia investigatur. *Ex. gr.* Si exploretur in Sphæra terrestri distantia inter C & B, non invenietur arcus CB, qui ob terræ rotunditatem est vera distantia; sed illius subtensa, seu recta CB, quæ cùm minor sit arcu, aliquantulum deficit à distantia quæsita. Quia verò defectus ille in distantiâ non valdè magnâ est insensibilis, ideò meritò negligitur. Quòd si contingat ut proponatur distantia maxima, eique requiratur par accuratio; sic facilè obtinebitur. 1.° Quæratur (*juxta hoc, vel sequens*

Probl.) angulus Z, seu arcus CB, qui sit vg. 1 gr. 30′. 2.° Positoquòd ZB Terræ semidiameter contineat qualescunque partes 10000000; resolvendo triangulum ZBC, invenietur subtensa CB esse ad latus ZB, ut 261792 ad 10000000; adeoque recta CB est ad totam diametrum ut 261792 ad 20000000. 3.° Quia diameter circuli (vide P. Tacquet *scholia in Prop. 6. selectarum ex Archimede*) est ad circumferentiam, ut 7 ad 22, vel exactiùs ut 113 ad 355, ut habeatur proportio inter diametrum sic divisam & totam circumferentiam, fiat ut 113, ad 20000000; sic 355 ad aliud, & invenietur tota circumferentia ad diametrum, ut 62831859 ad 20000000. 4.° Fiat ut 360 gr. ad 1 gr. 30′, seu ut 21600′ ad 90′, ita circumferentia 62831859 ad aliud, & quartus terminus 261799 indicabit rationem arcûs CB ad diametrum 20000000. Sed ex dictis subtensa CB est ad diametrum, ut 261792 ad 20000000: ergo subtensa CB, est ad arcum CB, ut 261792 ad 261799. 5.° Ponamus quòd subtensa CB inventa fuerit passuum 96544 & pedum $2\frac{1}{2}$, id est (supponendo pedem dividi, uti communiùs dividi solet, in 12 digitos) digitorum 5792670; Dicendo, ut subtensa CB 261792 ad digitos 5792670: sic arcus CB 261799 ad aliud; invenietur arcus CB continere digitos 5792823 seu passus 96547 $\frac{3}{60}$; adeoque differentia inter arcum & subtensam est passus 2. pedes $2\frac{3}{4}$.

Hinc confirmatur quod diximus, viz: excessum arcûs supra subtensam sine dispendio negligi in mediocri intervallo, cùm in distantia Mill. Bon: 96 $\frac{1}{2}$ seu leucarum 32 circiter, sit tantilla differentia.

Corollaria.

1. Notâ terræ semidiametro ZC seu ZB, & altitudine oculi AB, sic invenitur amplitudo horizontis Physici. *Vide definitionem 4. cap. 5. P. 2.*

In triangulo ACZ angulus C est rectus, latus CZ terræ semidiameter, & latus AZ habetur addendo oculi altitudinem

AB semidiametro terrestri ZB, & his ejusbus invenitur angulus Z, adeoque & arcus CB, qui est dimidia amplitudo horizontis Physici, & ad millaria reducetur modo statim explicando.

2. Eodem modo determinatur distantia (CB) ex qua quævis altitudo nota (AB) potest conspici: & è converso, notâ distantiâ invenitur altitudo.

Nam si detur altitudo AB, nota erunt in triangulo CAZ, latera CZ, AZ cum angulo recto C; ex quibus invenitur angulus Z, seu arcus CB distantia maxima ex qua punctum A potest conspici.

E converso, si cognoscatur distantia seu arcus CB, notus erit angulus Z, & latus CZ cum angulo C recto. Ex his tribus quæratur AZ ut subtractâ BZ terræ semidiametro, inveniatur AB altitudo quæsita.

3. Ex eadem figura colligitur quòd in distantia magna non rectè exploretur angulus distantiæ CAB quadrante & perpendiculo, nisi correctio aliqua adhibeatur. Nam qui ex C collimaret in A, tendente perpendiculo ad centrum Z per rectam CZ, inveniret angulum LCZ, qui (*per* 32. *l.* 1.) æquatur angulis Z & CAB quæsito. Subtrahi igitur debet ex angulo invento LCZ angulus Z, qui (*ex dicendis*) facilè innotescet notâ distantiâ CB.

4. Ex terræ diametro notâ deducitur ejus circumferentia. Securior tamen est terrestris circumferentiæ investigatio immediata, quæ sequitur.

PROBLEMA II.

Terræ circumferentiam invenire.

PRIMUS MODUS.



Eligantur sub eodem meridiano duo loca A & B, quorum distantia diligenter exploretur. Sit loci A, Zenith C; loci B, Zenith D. Jam, si in utroque loco observetur alicujus stellæ S altitudo meridiana, nota erunt altitudinum complementa

SD, SC; eorumque differentia CD; adeoque & arcus terrestris AB, similis arcui CD. Fiat igitur ut arcus AB, ad locorum distantiam; sic tota terræ circumferentia, seu gradus 360. ad aliud; & ostendet quartus terminus quot sint milliaria in toto terræ ambitu.

SECUNDUS MODUS.

Sit P locus in monte à longè conspicuus, & A turris in planitie milliaribus aliquot distante. Montis & turris altitudines perpendiculares PB, OA concurrentes in terræ centro Z, inter quas sit distantia horizontalis AB. His positis,



1.° Quadrante vel semicirculo ita collocato in P ut ejus latus EF sit horizontale, adeoque rectum lineæ PB, metire inclinationis angulum CPB, quem efficit radius visualis PC radens turrim AO; dein Telescopio observetur illud in turri punctum O, quod stringit radius visualis PC.

2.° In parte turris observatâ O, idem instrumentum ita fiatur, ut latus MN sit horizontale, & rectum lineæ OA. Deinde collimans in P, ubi prima facta est observatio, nota exactè elevationis angulum AOP, cujus supra rectum excessus NOP (*per.* 15. *l.* 1.) æquatur oppositò ad verticem MOC.

3.° In triangulo POZ, inventis jam angulis OPZ, POZ, notus erit (*per.* 4. *Corol. p.* 32. *l.* 1.) tertius Z: ergo notum etiam erit quot gradus vel minuta contineat arcus AB. Si igitur (*per Probl.* 3. *c.* 5.) quæratur AD, & (*per* 1 *Corol. Probl.* 7. *c.* 5.) DB, ut cognoscatur in milliaribus vel passibus tota distantia AB; invenientur (*ut in* 1. *modo*) milliaria vel passus quos continet tota terrestris Sphæræ circumferentia.

Scholium.

Ex hac operatione sæpiùs peracta, tribuit Ricciolus terræ circumferentiæ Milliaria Bononiensia 23170, & Passus 680; semidiametro terræ Mill. Bon. 3689. Passus 598: Uni Gradui

circuli maximi Mill. 64. Paſſus 363: Areæ circuli terreſtris maximi Mill: quadrata 427457247: ſuperficiei terreſtri Mill: quadrata 170980988: ſoliditati terræ Mill. cubica 21028703785.

Mathematici Pariſienſes apud Ozanam Tom. 5. pag. 149 aſſignant uni gradui Paſſus Bon: 58481, ſeu Mill. Bon. $58\frac{1}{2}$ circiter. Undè ex illorum calculo continebit terræ ambitus Mill: Bon. 21053, & Paſſus 160.

Has terræ dimenſiones menſuris Bononienſibus expreſſas ad Patriæ ſuæ milliaria quivis facilè reducat, modò determinetur illa quæ eſt inter aliquas menſuras notas, pedes *vg.* proportio. Cùm enim Milliare Bon: contineat 1000 paſſus, & paſſus ſinguli 5 pedes; *per Auream Regulam*, notâ pedum proportione, conſtabit paſſuum & milliarium proportio; modò ſciatur quot pedes vel paſſus ad alicujus regionis milliare requirantur.

Ut facilius peragatur hæc operatio, pedum celebriorum proportionem hîc ſubjicio. Quarum partium continet *Pes Bononienſis* 1686, earundem continet *Romanus antiquus* 1331. *Pariſienſis* 1440. *Londinenſis* 1350. *Leodienſis* 1320 *Rhynlandicus ſeu Leydenſis* 1390. *Antuerpienſis* 1277. *Bavarus* 1284. *Amſtelodamenſis* 1256. *Lovanienſis* 1263. *Norimbergenſis* 1353. *Venetus* 1557.

Hoc ſemel invento, quot alicujus loci milliaria correſpondeant uni gradui maximi terræ circuli, *per Regulam Auream* invenientur gradus correſpondentes cuicunque intervallo noto: & è converſo.

Ex: gr: Inquiratur arcus correſpondens milliaribus 342. Fiat ut mill: $64\frac{363}{1000}$ ſeu paſſus 64363, ad 1 gradum ſeu 60 min: ſic mill: 342 ſeu paſſus 342000, ad aliud; & quartus terminus 5 gr. 18′ erit quantitas arcûs quæſiti.

PROBLEMA III.

Lunæ à Terra diſtantiam metiri.

Eligantur duo loca B & C ſub eodem Meridiano HDX, in quo ſit Lunæ locus O. Loci B, Horizon ſit HN, Zenith D.

Loci

Loci. C, Horizon RX, Zenith E. His positis,

1.° Duo mensores eâdem nocte conflictâ, quando Luna appellit ad Meridianum, metiantur angulos distantiæ Lunæ à suo quisque Zenith, *viz:* angulos OBD, OCE.



2.° Inquiratur distantia locorum B & C, ut sciatur arcus BC, seu angulus BAC; & nota erit (*per.* 4. *Corol. p.* 32. *l.* 1.) summa angulorum ABC, ACB, qui cùm (*per.* 5. *l.* 1.) sint æquales, singuli cognoscentur. Ex omnibus angulis & BA terræ semidiametro, quæratur subtensa BC.

3.° Angulis ABC, OBD jam notis, cognoscetur intermedius CBO eorum complementum ad duos rectos: & noto angulo ACB, scietur BCE ejus complementum ad duos rectos; cui si addideris OCE, notus erit BCO. Ergo in triangulo OCB ex angulis BCO, CBO, & latere BC, invenientur BO Lunæ distantia à loco B, & CO ejusdem distantia à loco C.

4.° In triangulo ABO, ex notis lateribus AB, BO, & angulo ABO conflato ex notis ABC, CBO, invenitur AO distantia Lunæ à centro terræ; & (subtractâ AF) FO, distantia Lunæ ab F, terræ puncto sibi directè subjecto.

Notandum.

Lunæ aliorumque Planetarum variatur sæpe à terrâ distantia. Hoc colligitur 1.° ex eo quòd (etiam abstrahendo à refractione) nunc sub majori, nunc sub minori angulo conspiciantur. 2.° Ex varietate Parallaxium seu angulorum AOB, ACB, quos in centro Planetæ efficiunt duo radii, quorum unus ducitur ex A centro terræ, alter ab oculo B in terræ superficie posito.



Quòd autem, dum Planeta vicinior est in O, major sit parallaxis BOA, quàm BCA parallaxis ejusdem dum remotior est in C, patet; nam (*per.* 32. *l.* 1.) angulus BOA æquatur internis BCA, OAC; adeoque excedit BCA.

Riccioloo ex observationibus plurimis relatis *libro 4. Almagesti. pag. 225.* deducit Lunæ distantias sequentes.

In Quadraturis Lunæ	Apogæa 66 - 42′.	Terræ	
	Perigæa 51 - 20.		
In Syzygiis Lunæ	Apogæa 64 - 15	Semidiametros.	
	Perigæa 53 - 45		

PROBLEMA IV.

Solis à Terra distantiam investigare.

Sit in Sphæra terrestri oculi locus A, Lunæ centrum *o*, Solis centrum S.

1.o Quando Luna dichotoma est, seu apparet dimidiâ sui parte illuminata, planum *b o c* separans partem lucidam ab obscura, si produceretur, transiret per oculum existentem in A; adeoque radius visualis A-*o*, transiens per Lunæ centrum, est in illo plano. Patet; quia aliter una semissis hæmisphærii illuminati non occulteret aliam.



2.o Recta S *o*, Solis & Lunæ dichotomæ centra connectens, est perpendicularis plano *b o c*; adeoque (*per. 3. def. l. 11.*) etiam radio visuali A *o*, existenti in illo plano. Patet; nam hæmisphærium illuminatum, adeoque & ipsius basis, seu planum *b o c*, soli directè obvertitur. His præmissis,

In triangulo AS*o* latus A*o* est Lunæ à terrâ distantia (*per præced.*) notâ; angulus S*o*A est rectus, & angulus *o*AS ad dichotomiæ momentum debet Instrumento exquisito explorari. Ex his tribus invenietur SA, Solis distantia à terra.

Hanc aliasque distantiæ solaris investigandæ methodos fusiùs explicatas vide apud Ricciolum *in Almagesto, l. 3. c. 7.* cum ipsius, & præcipuorum Astronomorum de Solis distantia judiciis. Tandem (*Astronomia Reformata l. 1. c. 13.*) constituit Solis distantiam maximam terræ semidiametros 7427. minimam 7173.

Scholium.

Reliquorum Planetarum & Fixarum distantiam investi-

gare operosum est, & multorum notitiam prærequirit, quorum explicatio alterius est loci. Subjiciam proinde tabulam distantiarum quas ex suis observationibus infert Riccioli (*Astron. Reform. l.* 10. *c.* 15.)

		maxima.	*minima.*	
A Terra distantia.	Mercurii	10435.	4948	Terræ Semidiametri
	Veneris	12754.	1946.	
	Martis	19576.	2670.	
	Jovis	45669.	28864.	
	Saturni	81105.	58207.	

Si Fixæ haberent parallaxim saltem 2 secundorum, inde deduceretur earum distantia à Terra major Terræ Semidiametris 100000. Cùm igitur parallaxis sit ita exigua, ut nullâ Astronomorum industriâ unquam potuerit observari, certum est earum distantiam esse multò majorem. Quanta verò sit, nequit certò determinari.

Fixarum distantia duplicata dat diametrum Firmamenti majorem Terræ semid. 200000, adeoque continentem ad minimum Passus 737919600000. Unde circumferentia Firmamenti erit Passuum plusquàm 23182445 25762. Cùm igitur Firmamentum cum omnibus stellis fixis integram revolutionem peragat 24 horis, hinc colligitur stellam sub Æquatore positam conficere minutis singulis Passus 1609892031; qui motus si conferatur cum circumferentia Terræ continente Passus 23170680, constabit stellas sub Æquatore sitas conficere minutis singulis plusquàm sexagies nonies totius Terræ ambitum. Quod tametsi mirum videri possit, est tamen infra veritatem.

PROBLEMA V.

Notâ cujuscunque sideris distantiâ, & diametro apparenti, ejus veram diametrum invenire.

Sit alicujus astri distantia AB, diameter apparens angulus CAD factus à radiis visualibus AC, AD, qui ducti ex oculi loco A sideris sphæram tangunt in C & D: sint etiam ejusdem sphæræ radii BC, BD, & diameter vera XZ.

In triangulis ABC, ABD, latera BC, BD (*per.* 18. *def. l.* 1.)

& latera AC, AD (*per.* 2. *Corol.* 36. *l.* 3. sunt æqualia, & latus AB commune: ergo (*per.* 8. *l.* 1.) anguli BAC, BAD sunt æquales, adeoque BAC est semissis anguli CAD (*ex suppos.*) noti. Ergo in triangulo ABC noti sunt anguli BAC, & BCA (*per.* 18. *l.* 3.) rectus, cum latere AB; ex quibus invenitur BC, seu BX semidiameter, quæ duplicata dat diametrum veram XZ.

Scholium.

Modus inveniendi siderum diametros apparentes, quem brevitatis causâ prætermitto, videri potest apud Dechales *Astronomia lib.* 4. *Prop.* 27. &c. Ex illis autem quas assignat Ricciolus, & distantiis suprà positis, deducuntur eorum veræ diametri ad terræ diametros se habere,

Solis. ut 33 ad 1. *Lunæ.* ut $26\frac{7}{2}$ ad 100. *Mercurii* ut 26 ad 100. *Veneris.* $1\frac{1}{10}$ ad 1. *Martis* ut 100 ad 59. *Jovis* ut 9 ad 2. *Saturni* ut $4\frac{3}{10}$ ad 1. *Sirii* $4\frac{2}{25}$ ad 1. *Capellæ.* ut $3\frac{94}{100}$ ad 1.

Quia sphærarum proportio triplicata est proportionis diametrorum, (*vide apud P. Tacquet. Corol. p.* 18. *lib.* 12. *Euclidis.*) infertur Sphæram Terrestrem esse ad Solem, ut 1 ad 35937: ad Lunam, ut 51 ad 1: ad Mercurium, ut 57 ferè ad 1: ad Venerem, ut 100 ad 133: ad Martem, ut 48 ad 10: ad Jovem, ut 8 ad 729: ad Saturnum, ut 1 ad 795: ad Sirium, ut 1 ad 83 ferè: ad Firmamentum denique, ut 1. ad 1000000000000000.

Ex dictis pronùm erit observare quàm exilis sit Terrarum orbis, si cum mundi spectabilis amplitudine conferatur. Quid porrò erit si comparetur cum cælo empyreo, fortunatâ Beatorum sede? Si hæc eo, quo par est animo, expenderit pius Lector, sordebit profectò Terra, dum cælum & cælestia contemplatur.

PARS SECUNDA.

DE TRIGONOMETRIA SPHÆRICA.

Artem hanc in quinque capita diſtribuemus. *Primò* præmittemus nonnulla ad trianguli ſphærici proprietates intelligendas neceſſaria. *Secundò* trianguli ſphærici rectanguli, *Tertiò* obliquanguli ſolvendi modum indicabimus. *Quartò* præ cæteris inquirenda laterum & angulorum ſpecies, regulas aliquas præſcribemus. *Quintò* proponemus Problemata aliquot nobiliora, quorum ſolutione præcedentium Capitum doctrina illuſtrabitur.

CAPUT I.

Præmittuntur aliqua ad Trigonometriam Sphæricam.

DEFINITIONES.

1.a *Sphæra* eſt figura ſolida, unicâ ſuperficie comprehenſa, ad quam omnes rectæ ductæ ab aliquo intra ſphæram puncto (quod *Centrum* dicitur) ſunt æquales.

2.a *Circulus maximus* eſt quò major non poteſt in ſuperficie ſphæræ deſcribi.

3.a *Polus* circuli eſt punctum in ſuperficie ſphæræ, ab iſtius circuli circumferentia diſtans undique æqualiter.

4.a *Angulus Sphæricus* (de quo hîc agimus) fit à duobus circulorum maximorum arcubus; & tot continet gradus, quot continet angulus quem faciunt circulorum plana.

Præter pleraque in Parte præcedenti recenſita, ex Euclide ad Trigonometriam Sphæricam requiruntur ex Libro 11 Prop. 20. 47. cum 4. & 5. Coral. Ex Libro 3. Prop. 7. 9. 10.

13. 29. cum 1. Coról. Ex Libro 5. Prop. 22. 23. Ex Libro 11. Prop. 9. 15.

Nota. Quòd tametsi quæ capite hoc continentur ad trianguli sphærici proprietates penitiùs inspiciendas multùm juvent, non tamen omnia ad trianguli resolutionem intelligendam sint absolutè necessaria. Tyroni proinde suaserim, ut Definitionibus & prioribus 7 Propositionibus contentus, Caput secundum auspicetur; ad reliqua, ubi posteà citantur, commodiùs recurret.

PROPOSITIO I.

Si sphæra plano quomodocunque secetur, sectio communis est circulus.

Demonstr. 1.° Si planum transeat per centrum, patet, nam omnes lineæ à centro sphæræ ad superficiem ductæ sunt æquales.

2.° Si non transeat per centrum, ad planum illud à centro ducatur perpendicularis EA, & ex A ducantur ad sectionis perimetrum BCDF quotcunque rectæ AB, AF, AD, quibus occurrant radii sphæræ EB, EF, ED. In triangulis EAB, EAF, EAD, anguli ad A (*per* 3. *def. l.* 11.) sunt recti, & hypotenusæ EB, EF, ED (*per* 1. *def. h*) æquales: latus verò EA est commune: ergo (*per* 4. *Corol. p.* 47. *l.* 1.) latera AB, AF, AD (idemque est de omnibus quæ duci possunt ab A ad peripheriam sectionis) sunt æqualia. Ergo (*per* 18. *def. l.* 1.) sectio communis est circulus, cujus circumferentia est BCDF, & centrum A.



Corollaria.

1. Circulus maximus est qui transit per centrum sphæræ. Nam radii talis circuli sunt, ut patet, iidem cum radiis sphæræ, & centrum idem: sed radii cujuscunque circuli non transeuntis per centrum sphæræ sunt minores radio sphæræ; ut patet in circulo BCDF, cujus radii sunt (*per* 18. *l.* 1.) minores radiis sphæræ oppositis angulo recto A.

2. Circulus duci potest per quæcunque tria puncta in superficie sphæræ. Nam per illa puncta duci potest planum, cujus cum sphærâ sectio communis est circulus.

3. Circuli per illa tria puncta descripti circumferentia tota est in superficie sphæræ. Nam planum per illa tria puncta ductum facit circulum, cujus circumferentia est tota in sphæræ superficie, ut patet. Sed per eadem tria puncta non potest duci nisi unus circulus; aliter enim duo circuli se secarent aut tangerent in tribus punctis, quod est (*per* 10. & 13. *l.* 3.) impossibile: ergo.

4. Recta LR tangens aliquem in sphæra circulum BCDF, tangit ipsam sphæram: nam cùm circuli BCDF circumferentia sit tota in sphæræ superficie, & LR in eodem plano cum circulo BCDF, patet quòd LR non possit sphæram secare, quin secet circulum BCDF; adeoque non sit illius tangens.

PROPOSITIO II.

Arcus insistens arcui facit angulos duobus rectis pares, & arcus se intersecantes faciunt angulos ad verticem oppositos æquales.

Demonstr. Plana (*per 6. def. l.* 11.) faciunt eosdem angulos quos lineæ ductæ perpendiculariter ad sectionem communem. Sed lineæ istæ, quando planum insistit plano, adeoque linea lineæ, faciunt (*per* 13. *l.* 1.) angulos æquales duobus rectis: & quando plana, adeoque lineæ in planis ductæ, se intersecant, faciunt (*per* 15. *l.* 1.) angulos æquales ad verticem oppositos: ergo plana faciunt dictos angulos. Sed (*per 4. def. h*) arcus faciunt eosdem angulos, quos circulorum plana: ergo.

PROPOSITIO III.

Mensura cujusvis anguli spherici (BAE) *est circuli maximi arcus* (BE) *interceptus inter* AB, AE) *latera istius anguli, & utrinque distans* 90 *gradibus ab* (A) *anguli vertice.*

Demonstr. Quia AB, AE sunt arcus 90 graduum, anguli



AGB, AGE sunt recti : ergo lineæ EG, BG sunt perdendiculares ad planorum sectionem AC: ergo (*per def. 6. l.* 11.) angulus BGE est angulus inclinationis planorum ; adeoque (*per 4. def h*) æquatur angulo sphærico BAE : sed arcus BE est mensura anguli BGE : ergo & anguli BAE.

PROPOSITIO IV.

In Sphæra circuli maximi se mutuò bisecant.

Demonstr. Centrum sphæræ (*per* 1. *Corol.* 1. *h*) est centrum circulorum maximorum : ergo omnes circuli maximi habent idem centrum : ergo communis illorum sectio transit per centrum commune ; adeoque est (*per* 20. *def. l.* 1.) communis eorum diameter, eosque bisecat in duos semicirculos.

Corollaria.

1. Si trianguli sphærici ABC duo quævis latera AB, AC, quæ in uno sectionis extremo faciunt angulum A, producantur donec fiant semicirculi, concurrant in altero extremo D.



2. Dum trianguli ABC latera sic producta concurrunt, fit novum triangulum, in quo 1.o habetur angulus D æqualis angulo A, nam idem arcus EF est (*per 3. h*) utriusque mensura. 2.o Latus BC est utrique triangulo commune. 3.o Reliqua latera BD, CD sunt laterum AB, AC complementa ad semicirculum. 4.o Anguli CBD, BCD sunt angulorum ABC, ACB complementa ad duos rectos. Unde 5.o Hoc ipso quòd cognoscantur aliqui anguli vel latera in uno triangulo, cognoscuntur correspondentes anguli & latera in alio. 6.o Iidem sunt sinus correspondentium tum laterum, tum angulorum in utroque triangulo.

PRO-

PROPOSITIO V.

Polus circuli maximi distat undique 90 gradibus ab ejus circumferentia.



Demonstr. Si neges: Sit circuli AC Polus B, distans minùs quadrante à C. Quia ADBC est (*per 4. h.*) semicirculus, arcus ADB major est arcu BC, adeoque subtensa AB major subtensâ BC: ergo B minùs distat à C quàm ab A: ergo (*per 3. def. h.*) B non est polus.

Corollarium.

Eodem modo ostenditur circulum quemvis unicum habere polum in eodem hæmisphærio. Si possint esse duo, sint D & B. Per D & B ducatur arcus ADBC. Patet puncta D & B non posse ambo distare 90 gradibus ab A & C.

PROPOSITIO VI.

Circulus maximus (ABCD) *transiens per* (A) *polum alterius circuli maximi* (BED) *illi insistit ad angulos rectos: & insistens ad angulos rectos transit per polum.*



Demonstr. I. Pars. Sumatur arcus BE 90 graduum, & ex E ducatur arcus EA. In triangulo ABE, arcus BE (*ex suppos.*) est quadrans, & BA (*per 5. h.*) est etiam quadrans: ergo (*per 3. h.*) arcus EA est mensura anguli ABE. Sed EA (*per 5. h.*) est quadrans: ergo (*per 3. h.*) angulus ABE est rectus: ergo (*per 4. def. h.*) planum AB est rectum plano BE.

2. *Pars.* Si insistens ad angulos rectos non transeat per polum, inclinatus in unam vel aliam partem transibit per polum: ergo (*per I. partem*) sic inclinatus insistet ad angulos rectos, quod est absurdum.

PROPOSITIO VII.

Si trianguli rectanguli ſphærici (ABC) *cujus ſinguli arcus ſunt quadrante minores, latera omnia producantur donec fiunt quadrantes* (ACZ, ABX, CBP) *& jungantur puncta* P & Z *arcu circuli maximi* (PZ); *hic arcus* (PZ) 1° *erit quadrans*; 2° *tranſibit per* (X) *extremum quadrantis interjacentis* (ABX) 3° *faciet* (ad X) *angulos rectos.*

Demonſtr. 1. Pars. Quia angulus aliquis C eſt (*ex ſuppoſ.*) rectus, arcus CBP (*per 6. h.*) tranſit per polum circuli ACZ : cùm igitur CBP ſit (*ex conſtr.*) quadrans, punctum P (*per 5. h.*) eſt ille polus : ergo (*per eandem*) arcus ZP eſt quadrans.

2. *Pars.* Quia ZP tranſit per P polum circuli ACZ, angulus Z (*per 6. h.*) eſt rectus : ergo (*per eandem*) ACZ tranſit per polum circuli ZP; & quia ACZ (*ex conſtr.*) eſt quadrans, punctum A (*per 5. h.*) eſt ille polus : ergo cum ABX ſit (*ex conſtr.*) quadrans, præcisè pertingit (*per 5. h.*) à polo A ad arcum ZP, qui proinde tranſit per X.

3. *Pars.* Quia arcus XBA tranſit per A polum arcûs ZP, illi inſiſtit (*per 6. h.*) ad angulos rectos; adeoque anguli ad X ſunt recti.

Corollarium.

Dum ſic producuntur latera, fit novum triangulum BPX, cujus latus BX eſt complementum arcûs AB; & latus BP complementum arcûs CB; & latus PX complementum arcûs XZ, id eſt (*per. 3. h.*) anguli A. Angulus verò PXB eſt rectus; angulus PBX æqualis (*per. 2. h.*) oppoſito ad verticem ABC; & angulus BPX (*per. 3. h.*) menſuratur ab arcu CZ, qui eſt complementum arcûs AC. Unde hoc ipſo quòd noti ſint aliqui anguli vel latera trianguli ABC, cognoſcuntur correſpondentes anguli & latera in triangulo BPX: & è contrà.

PROPOSITIO VIII.

Si in duobus triangulis (ABC, DEF) *æqualia ſint duo*

latera (AB, DE, & AC, DF) *& anguli contenti* (A & D) *æquales; vel si basis* (BC) *æquetur basi* (EF,) *& anguli adjacentes basi* (B & E, C & F) *sint æquales; tota triangula erunt æqualia.*



Hæc propositio correspondet quartæ l. 1. ejusque scholio, & eodem modo demonstratur; nam si unum triangulum alteri imponas, perfectè congruent.

PROPOSITIO IX.

Cujusvis trianguli sphærici (ABC) *duo quævis latera* (AB, AC) *sunt simul sumpta majora tertio* (BC) *item quodvis latus* (BC) *est minus semicirculo, & omnia tria latera simul sumpta minora circulo.*



Demonstr. I. Pars. Perfecto circulo AC, acceptoque arcu A*b* æquali lateri AB, ducantur chordæ BC, & *b*OC secans diametrum AD alicubi in O. Jam si semicirculus A*b* D concipiatur moveri circa communem diametrum DA donec coincidat cum plano arcûs AB, quia A*b* AB sunt (*ex constr.*) æquales arcus æqualium circulorum, punctum *b* incidet in B, & recta *b* O congruet rectæ BO. Sed (*per* 20. *l.* 1.) BO, OC, id est subtensa *b* C major est subtensâ BC: ergo (*per.* 26. *l.* 3.) arcus *b* AC seu latera AB, AC, excedunt arcum seu latus BC.

2. *Pars.* Quia BC, AC tantùm concurrunt in uno extremo C, si producantur, (*per* 1. *Corol.* 4. *h*) concurrent in altero sectionis extremo D, & erit CBD semicirculus: ergo arcus BC est minor semicirculo.

3. *Pars* DB, DA sunt (*per I. partem*) simul majora quàm AB. Sed CA, CB cum DA, DB, (*per* 4. *h*) simul æquantur circulo: ergo CA, CB cum AB sunt minora circulo.

PROPOSITIO X.

Cujusvis trianguli sphærici (ABC) *quivis angulus* (C) *minor est duobus rectis: omnes anguli simul sumpti sunt minores sex rectis, & majores duobus rectis.*

Demonstr. 1. Pars. Producatur latus BC. Anguli X & C (*per 2. b*) æquantur duobus rectis: ergo angulus C est minor duobus rectis.

2. *Pars* patet ex prima.

3. *Pars* 1° Si anguli X & B sint æquales, ecut X cum C (*per 2. b*) ita B cum C, faciet duos rectos: ergo anguli B, C, A, sunt majores duobus rectis.

2.° Si X sit minor quàm B, quia X & C faciunt duos rectos; B & C, adeoque à fortiori B, A & C, erunt majores duobus rectis.

3.° Sit X major quàm B. Tres angulos A, B, C excedere duos rectos postea commodius demonstrabimus. *Vide Coroll. Prop. 13. quæ ab hac non dependet.*

PROPOSITIO XI.

Si in triangulo sphærico (ABC) *duo latera* (AB, AC) *sint æqualia, anguli iis oppositi* (B & C) *sunt æquales: & è converso.*

Demonstr. 1. Pars. Ex AB, AC aufer arcus æquales AG, AH, & describe arcus GC, BH. Trianguli GAC, HAB habent latera AG, AH (*ex constr.*) & latera AB, AC (*ex suppos.*) æqualia, & angulum A communem: ergo (*per 8. b*) æquantur bases GC, HB, & anguli AGC, AHB; adeoque & horum complementa BGC, BHC sunt æqualia. Sed etiam latera GB, HC & GC, HB sunt æqualia: ergo anguli GBC, HCB, id est B & C sunt (*per 8. b*) æquales

2. *Pars.* Si latera AB, AC non sint æqualia, sit AB majus. Ex AB aufer BD æquale AC, & duc arcum DC.

In triangulis BDC, BAC latus BC eſt commune, latus BD (*ex conſtr.*) æquatur lateri AC, & angulus contentus B (*ex ſuppoſ.*) angulo contento C: ergo (*per* 8. *h*) triangula BDC, BAC ſunt æqualia, pars & totum.

PROPOSITIO XII.

In triangulo quovis ſpharico (ABC) *majori angulo* (C) *opponitur majus latus* (AB:) *& è converſo.*

Demonſt. I. Pars. Fiat angulus DCB æqualis angulo B: & erunt (*per* 11. *h*) CD, BD æqualia. Sed (*per* 9. *h*) CD, DA ſimul ſunt majora quàm AC: ergo DB cum DA, ſeu AB majus eſt quàm AC.



2. *Pars.* Si anguli B & C eſſent æquales, latera AB, AC eſſent æqualia (*per* 11. *h.*) Et ſi C eſſet minor quàm B, arcus AB (*per I. partem*) foret minor quàm AC: ergo ſi AB ſit major quàm AC, angulus C eſt major quàm B.

PROPOSITIO XIII.

Si trianguli ſpharici (ABC) *duo quævis latera* (AB, AC) *ſimul ſumpta ſint æqualia ſemicirculo, anguli* (B & C) *ad baſim erunt ſimul æquales duobus rectis; ſi majora ſint, anguli ſunt majores; ſi minora, anguli ſunt minores duobus rectis: & è converſo.*

Demonſtr. I. Pars. Producantur BA, BC, donec concurrant in D. Jam quia BA, AC [*ex ſuppoſ.*] & BA, AD (*per* 4. *h*) æquantur ſemicirculo; AC, AD ſunt æqualia: ergo (*per* 11. *h*) anguius ACD æquatur angulo D, id eſt (*per* 2. *Corol. p.* 4. *h*) angulo B. Sed angulus ACB cum ACD (*per* 2. *h*) æquat duos rectos: ergo ACB cum B facit duos rectos.



E converſo. Si B, id eſt (*per* 2. *Corol. p.* 4. *h*) D cum ACB æquat duos rectos, quia ACD cum eo-

dem ACB (*per* 2. *h*) idem facit; anguli D & ACD sunt æquales: ergo (*per* 11. *h*) æqualia sunt latera AC, AD. Sed AB, AD sunt (*per* 2. *Corol. p.* 4. *h*) semicirculus: ergo AB, AC æquantur semicirculo.

2. *Pars.* Si AB, AC sint semicirculo majora, AC est (ut patet ex dictis) majus quàm AD: ergo angulus D, adeoque & B, est (*per* 12. *h*) major angulo ACD. Sed ACD cum ACB (*per* 2. *h*) facit duos rectos: ergo B cum ACB facit plusquàm duos rectos.

Conversa hujus, sicut & tertia pars cum suâ conversa simili ratiocinio demonstratur.

Corollarium.

Si angulus externus ACD *sit major interno opposito* B, *anguli interni* A, B, C *sunt majores duobus rectis.*

Fiat angulus ECD æqualis angulo B, & producatur BA donec concurrat cum CE. Jam angulus ECB cum ECD, id est (*ex constr.*) cum B adæquat duos rectos: ergo (*per* 13. *h*) latera BE, CE æquantur semicirculo: ergo latera AE, EC sunt simul semicirculo minora: ergo (*per* 13. *h*) anguli EAC, ECA sunt minores duobus rectis: ergo BAC, qui cum EAC (*per* 2. *h*) æquat duos rectos, est major quàm ECA. Si ergo angulo BAC addas angulum B, & angulo ACE angulum ECD æqualem ipsi B, & utrinque adjicias angulum ACB: erunt tres anguli BAC, ACB, CBA majores tribus ACE, ACB, ECD, id est (*per* 2. *h*) duobus rectis.

PROPOSITIO XIV.



Si duo triangula sphærica (ABC, DEF) *habeant latera* (AB, AC, BC) *singula æqualia singulis* (FD, FE, DE) *anguli æqualibus lateribus oppositi sunt æquales: & è converso.*

Hujus Propositionis prima pars correspondet octavæ l. 1. Euclidis; & quemadmodum illa *per* 4. & 5. *l.* 1. *Euclidis* demonstrata est, ita & hæc eodem modo potest demonstrari *per* 8. & 11. *h.*

Demonstr. 2. *Pars.* Quòd triangula sibi mutuò æquiangula, sint etiam æquilatera si habeant latus aliquod commune vel æquale, patet *ex* 8. *h.* Donec igitur demonstretur contrarium, fingamus omnia latera esse inæqualia. Et

1.o Posito angulo D super æqualem B, latera DE, DF minora sint lateribus BC, BA. Producantur EF, CA donec concurrunt in puncto L. Anguli FED, FEC (*per* 2. *h.*) æquantur duobus rectis. Sed FED & ACB (*ex suppos.*) sunt æquales: ergo FEC, ACB æquantur duobus rectis: ergo trianguli LEC latera LE, LC (*per* 13. *h.*) æquantur semicirculo. Similiter anguli EFA, EFD (*per* 2. *h.*) æquant duos rectos. Sed EFD, CAB (*ex suppos.*) sunt æquales: ergo EFA, CAB æquantur duobus rectis: ergo (*per* 2. *h.*) eorum complementa LFA, LAF æquantur duobus rectis: ergo (*per* 13. *h.*) latera LF, LA æquantur semicirculo, quod est absurdum, quia arcus LC, LE jam ostensi sunt semicirculo æquales.



2.o Si latera DE, DF ponantur singula majora lateribus BC, BA; eadem fiet demonstratio.

3.o Si unum DF ponatur majus quàm BA, & aliud DE minus quàm BC; ostendetur, ut priùs, arcus LE, LC, item arcus LA, LF esse æquales semicirculo: ergo latera AC, FE vel sunt semicirculi, vel aliquod eorum majus semicirculo; utrumque verò est (*per* 9. *h.*) impossibile: ergo latera singula trianguli DEF æquantur singulis trianguli BCA.



PROPOSITIO XV.

Si in triangulo sphærico Isosceli (ADC) *ducatur chorda basis* (CD) & *per* (A) *verticem anguli oppositi transeat*

recta (MA) *chorda* (CD) *parallela, illa rectæ* (MA) *tanget sphæram in qua est triangulum* (ACD) *ita ut in eam non incidat.*

Demonstr. Per puncta A, D, C, describatur circulus & ducantur chordæ arcuum AC, AD, quæ (*per 26. l. 3.*) sunt

æquales. Jam si MA tangat circulum ACD, (*per 4. Corol. p. 1. h*) tangit sphæram: si verò neges MA esse tangentem circuli ACD, ducatur alia quævis IA quæ circulum ACD tangat in A: ergo [*per 32. l. 3.*] angulus IAD æquatur angulo C, id est [*per 5. l. 1.*] angulo D: ergo [*per 28. l. 1.*] IA & DC sunt parallelæ: sed MA, DC [*ex constr.*] sunt parallelæ: ergo [*per 30. l. 1.*] IA, MA sunt parallelæ, quod est absurdum, nam concurrunt in A. Ergo MA, & non IA, tangit circulum ADC.

LEMMA.

Si recta RG à centro ducta bisecet arcum BGC, bisecat ejus chordam BC, estque ad eam perpendicularis.

Demonstr. Quia arcus BG, GC sunt æquales, æquales sunt [*per 23. l. 1.*] anguli BRG, CRG. Æquantur etiam latera RB, RC, & latus RO est commune: ergo [*per 4. l. 1.*] bases BO, CO sunt æquales, [adeoque bisecatur BC, quod erat primum] sicut & anguli ad O, qui proinde (*per 13. l. 1.*) sunt recti: ergo CO est perpendicularis ad RO, quod erat secundum.

PROPOSITIO XVI.

Si ex arcubus æqualibus [AE, AF] *auferantur arcus æquales* [AB, AC] *& per arcuum extremitates* [B & C, E & F] *ducantur circulorum maximorum arcus* [BGC, EDF] *Planum circuli maximi* [AD] *bisecantis angulum verticalem* [A] *bisecat arcus illi subtensos* [BGC, EDF] *& horum chordas* [BGC, ELF] *quæ etiam sunt parallelæ.*

Demonstr. I. Pars. In triangulis BAG, CAG, anguli ad A

ad A [*ex suppos.*] sunt æquales, sicut & latera AB, AC [*ex constr.*] latus verò AG est commune: ergo [*per 8. b*] bases BG, CG sunt æquales. Idem similiter ostendam de ED, FD: ergo bisecantur arcus BGC, EDF.



2. *Pars.* Linea à centro ducta & bisecans arcum BC in G, bisecat [*per Lemma præced.*] ejus chordam in O. Sed hæc linea est in plano circuli AD, quod [*ex suppos.*] transit per G, & (*per 1. Corol. 1. b*) per centrum sphæræ, id est [*per idem Corol.*] per centrum circuli BGC: ergo planum circuli AD bisecat chordam BOC. Eodem modo idem demonstratur de chorda ELF.

3. *Pars.* Sequitur ex dictis in prima parte angulos ad G esse æquales, adeoque (*per 2. b.*) rectos: ergo planum circuli GC [*per 4. def. b*] rectum est plano circuli AGD. Deinde [*per Lemma præced.*] CO est perpendicularis lineæ ductæ à G ad centrum. Sed hæc linea est (*ut ostendimus in 4. b*) communis sectio circulorum AGD, BGC: ergo CO est perpendicularis sectioni communi planorum AG, CG; adeoque (*per 4. def. l. 11.*) est recta plano circuli AGD. Eodem ratiocinio ostendam FL esse rectam eidem plano AGD: ergo (*per 6. l. 11.*) lineæ CO, FL, adeoque & chordæ BOC, ELF sunt parallelæ.

CAPUT II.

De Resolutione Trianguli Sphærici Rectanguli.

PROPOSITIO I.

In omni triangulo sphærico rectangulo

Ut sinus cujusvis lateris, ad sinum anguli sibi oppositi:
Sic sinus alterius lateris, ad sinum anguli sibi oppositi.

Et è contrà.

Ut sinus cujusvis anguli, ad sinum lateris sibi oppositi:
Sic sinus alterius anguli, ad sinum lateris sibi oppositi.

Hæc est prima regula pro resolutione trianguli sphærici rectanguli, & vocatur *Regula Sinuum seu Oppositionis.*

Nota. Quando sermo est de triangulo rectangulo, nomine

Basis intelligi hypotenusam seu arcum oppositum angulo recto : arcus verò angulum rectum continentes simpliciter vocari *Latera*.

Proponatur triangulum sphæricum rectangulum ABC : dico sinum anguli recti C esse ad sinum basεos AB ; ut sinus cujusvis alterius ad basim anguli BAC, est ad sinum lateris oppositi BC.

Sit centrum sphæræ M, & sint MA, MB, MC communes sectiones circulorum AB, BC, AC. Ab angulo B ducantur BS, BO perpendiculares ad AM, CM ; & jungantur O & S rectâ OS. Ex hac constructione habetur



1.° Quòd BS (*per def. sinûs*) sit sinus arcûs BA, & BO sinus arcûs BC.

2.° Quia angulus C est rectus, planum MBC est (*per* 4. *def. c.* 1. *h*) rectum plano MCA : ergo (*per* 4. *def. l.* 11.) linea BO, quæ est sinus arcûs BC, adoque perpendicularis diametro MC, est recta plano MCA : ergo (*per* 3. *def. l.* 11.) angulus BOS est rectus.

3.° Quia BO est recta plano MCA, planum trianguli SBO ductum per BO est (*per* 18. *l.* 11.) rectum ad planum MCA : ergo cùm MS ponatur recta ad SB, est (*per* 4. *def. l.* 11.) recta ad planum trianguli SBO : ergo (*per* 3. *def. l.* 11) MS est etiam recta ad lineam SO : ergo (*per* 6. *def. l.* 11.) BSO est angulus quem faciunt plana circulorum BA, AC : ergo (*per* 4. *def. c.* 1. *h*) angulus BSO æqualis est angulo sphærico A : sicut & angulus rectus BOS angulo sphærico C. His præmissis

Demonstr. propositio. In triangulo plano BOS, recta BS (*per* 1. *c.* 2. *P.* 1.) est ad sinum totum, seu sinum anguli oppositi BOS, ut BO ad sinum anguli oppositi BSO. Sed BS, BO sunt sinus laterum BA, BC : & anguli BOS, BSO sunt æquales angulis sphæricis C & A : ergo BS sinus lateris BA, est ad sinum totum, seu sinum anguli oppositi C ; ut BO sinus alterius lateris BC, ad sinum oppositi anguli A : & è contrà.

Quod ostensum est de angulo acuto BCA facilè demonstratur de angulo obtuso BAC ; nam productis lateribus

BC, BA, sit novum triangulum ACD, cujus anguli & latera (*per.* 2. *Corol.* 4. *c.* 1. *h*) sunt priorum complementa; & eosdem habent sinus. Cùm igitur sit in triangulo CAD, ut sinus lateris AC ad sinum anguli recti D; ita sinus lateris CD ad sinum anguli acuti CAD: erit etiam (propter sinuum identitatem) in triangulo BAC, ut sinus AC ad sinum anguli recti B: ita sinus lateris BC ad sinum anguli obtusi BAC.

Meliùs intelligetur tota hæc, uti & sequens, demonstratio, si ex charta, vel alia materia, circulorum segmenta confeceris, quæ ad angulos præscriptos erecta, circulorum in sphæra situm meliùs repræsentent.

PROPOSITIO II.

In omni triangulo sphærico rectangulo
Ut sinus totus, ad sinum cujusvis lateris circa angulum rectum;
Sic tangens anguli acuti prædicto lateri adjacentis,
Ad tangentem lateris sibi oppositi.

Et è contrà.

Ut sinus cujusvis lateris circa angulum rectum;
Ad sinum totum:
Sic tangens alterius lateris circa angulum rectum,
Ad tangentem anguli sibi oppositi.

Hæc est secunda regula pro analysi trianguli sphærici; & vocatur *Regula Tangentium.*

In triangulo ABC sit angulus C rectus. Sit M centrum sphæræ, & MA, MB, MC sectiones communes circulorum AB, AC, BC. Ab angulo C ducatur CS perpendicularis ad diametrum MA, & super MC erigatur perpendicularis CO tangens circulum CB in C, & concurrens in O cum MB productâ. Demum jungantur puncta O & S.



Dico CS, sinum lateris CA circa angulum rectum, esse ad sinum totum, ut CO tangens alterius lateris

lateris noti; tertius denique tangens anguli oppositi lateri quæsito. Si verò quæratur angulus, primus erit sinus lateris adjacentis angulo quæsito; secundus erit sinus totus; tertius tangens lateris oppositi angulo quæsito.



3.o Si ita disponantur termini dati, ut neutra regula locum habeat, sicut contingit in triangulo ABC, producantur (*ut in* 1. *vel* 2. *Fig.*) omnia trianguli dati latera, donec fiant quadrantes, & ducatur circuli maximi arcus PZ. In triangulo PBX (*per.* 7. *c.* 1. *h*) angulus X est rectus; latus BP est lateris noti BC complementum ad quadrantem; & latus BX est simile complementum lateris noti AB. Ex his (*per Regulam sinuum*) invenitur angulus P, adeoque arcus CZ, qui (*per.* 3. *c.* 1. *h*) est mensura anguli P, & (*ex constr.*) lateris quæsiti AC complementum ad quadrantem; quo noto, cognoscetur latus AC.

Ad eundem modum, quandocunque nec per *Regulam sinuum*, nec *tangentium* apparet solutio; si rectè producantur latera, dabitur in novo triangulo casus dato correspondens, semper per alterutram regulam resolubilis. Dixi, *si rectè producantur*, quia dubitari sæpe potest versùs quam partem fieri debeat hæc laterum productio; ad hoc autem determinandum juvabunt regulæ sequentes.

REGULÆ

Indicantes versùs quam partem cujusvis trianguli sphærici rectanguli arcus debeant produci.

1.a Si neuter acutus angulus notetur (id est, si neuter sit vel datus vel quæsitus) per quem libuerit angulum prodaci possunt arcus.

2.a Si unus tantùm angulus acutus notetur, produci debent arcus per angulum non notatum.

3.a Si uterque angulus acutus fuerit notatus, protrahantur arcus per angulum adjacentem alicui arcui notato.

Regulas has, & alia hactenus explicata meliùs intelliget Tyro ex Schemate ſubjecto, ubi exprimuntur caſus omnes qui poſſunt in rectangulis contingere, & modus eorum quemvis unicâ operatione reſolvendi.

Nota 1.o literam Q in ſchemate ſignificare *quæritur*. Et quamvis ſemper deſignetur aliquod latus, vel aliquis angulus quæſitus, eadem tamen ſolutio eſt alteri lateri vel angulo applicabilis.

Nota 2.o quòd ſi in triangulo rectangulo, ſint quævis duo latera majora quadrante. (Hoc autem ſemper contingit, ut oſtendam *cap.* 4, quando angulus aliquis eſt obtuſus, vel latus aliquod quadrante majus) producì debeant latera majora donec fiant ſemicirculi, ſic loco trianguli propoſiti habebitur novum triangulum reſolvendum, cujus ſingula latera erunt quadrante minora, qualia requiruntur, ut per regulas datas perfici poſſit operatio.

Nota 3.o ut vitetur error, qui facilè poteſt contingere in accipiendis arcubus vel angulis pro eorum complementis ad ſemicirculum vel duos rectos; expedire ut, Tyrones præſertim, in charta vel tabula delineent triangula reſolvenda, eorumque latera producant ex præſcripto regularum; hinc enim fiet ut totius reſolutionis ſchemate oculis ſubjecto, faciliùs poſſint obſervare, quomodò ex inventis innoteſcant quæſita.



SCHEMA I.

Pro analysi triangulorum Sphæricorum rectangulorum.



Quæritur latus aliquod *a c* vel *b c*.

1	*Ex ang. oppos.* b, *& basi* ab, ♐ a c.	*Ut* sinus totus, *ad* sinum *baseos* a b. *Sic* sinus *ang. dati* b, *ad* sinum *lateris* a c.
2	*Ex ang. adjac* a, *& basi* a b, ♐ a e.	*Ut sin. compl. ang. dati* a, *ad sin. totum*: *Sic tang. compl. baseos* ab, *ad tang. compl. lat.* a c.
3	*Ex altero lat.* b c, *& basi* a b, ♐ a c	*Ut sin compl. lat dati* b c, *ad sin. totum*: *Sic sin compl basi* a b, *ad sin. compl. lat.* a c.
4	*Ex ang. oppos.* b, *& altero lat.* b c, ♐ a c.	*Ut sin. tot. ad sinum lat dati* b c. *Sic tang. ang. dati* b *ad tang. lat.* a c.
5	*Ex ang adjac.* a, *& altero lat.* b c, ♐ a c.	*Ut tang. ang. dati* a, *ad tang. lat. dati* b c: *Sic sin. tot. ad sinum lat.* a c.
6	*Ex omnibus angulis.* ♐ b c.	*Ut sin. ang. adjac* b, *ad sin. compl. ang. oppos.* a: *Sic sin tot. ad sin. compl. lat.* b c.

Quæritur Basis *a b*.

7	*Ex quovis latere* b c, *& ang. ei oppos.* a.	*Ut sin. ang. dati* a, *ad sin. lat. dati* b c: *Sic sin. tot. ad sin. baseos* a b.
8	*Ex quovis lat.* a c, *& ang. ei adjac.* a.	*Ut sin. tot. ad sin. compl. ang. dati* a: *Sic tang. compl lat. dati* a c, *ad tang compl. basi* a b.
9	*Ex utroque latere* a c *& b c.*	*Ut sin. tot. ad sin. compl lat.* b c: *Sic sin. compl lat.* a c, *ad. sin. compl basi* a b.
10	*Ex omnibus angulis.*	*Ut tang. acuti* b, *ad tang. compl. acuti* a: *Sic sin. tot. ad sin. compl. basi.* a b.

Quæritur angulus aliquis *a* vel *b*.

11	*Ex latere oppos.* b c, *& altero acuto* b ♐ a.	*Ut sin. tot. ad sin. compl. lat. dati* b c: *Sic sin. ang. dati* b, *ad sin compl. ang.* a.
12	*Ex latere adjac* bc, *& altero acuto* a, ♐ b.	*Ut sin. compl. lat. dati* b c, *ad sin. tot.* *Sic sin. compl. ang. dati* a, *ad sin. ang. quæsiti* b.
13	*Ex basi* a b *& altero acuto* a, ♐ b.	*Ut sin. compl. basi* a b, *ad sin tot*: *Sic tang. compl. ang. dati* a, *ad tang ang.* b.
14	*Ex utroque latere* a c, b c.	*Ut sin. lat. adjac. quæsito, ad sinum tot*: *Sic tang. ulterius lat. ad tang. ang. quæsiti.*
15	*Ex latere oppos. & basi.*	*Ut sin baseos, ad sin. tot*: *Sic sin. lat. oppos. ad sin. ang. quæsiti.*
16	*Ex lat. adjac.* a c, *& basi* a b, ♐ a.	*Ut tang. compl lat. dati* a c, *ad tang compl. basi.* a b: *Sic sin. tot. ad sin. compl. ang.* a.

Ad



Ad laterum productionem, & quicquid schemate hoc explicatur, melius percipiendum plurimùm proderunt figuræ appositæ, in quibus arcus omnes triangulorum LEF in utrumque partem producuntur donec utrinque fiant quadrantes, adeoque & anguli E, X, R (*per. 7. c. 1. b*) recti. Notæ verò, & numeri casum quemlibet exprimentes, ita disponuntur, ut

1.° *prima Figura* continet omnes casus finuum ope resolubiles; *secunda* illos, ad quorum solutionem tangentes adhibentur. Unde primo intuitu scias, utrùm *per Regulam finuum*, an verò *tangentium*, ullus casus oblatus debeat resolvi.

2.° Notæ & numeri lateribus vel angulis appositi ostendunt, quid in unoquoque casu, & ex quibus datis quæratur; nam numerus casum exprimens semper adscribitur lateri vel angulo per illum casum quæsito: reliquæ verò notæ designant latera & angulos, ex quibus datis quæritur solutio. *vg.* in triangulo FZR (*in Fig.* 1.) numerus 9 adscriptus arcui seu basi FZ, indicat quæri in nono casu basim FZ: reliquæ verò notæ appositæ lateribus FR, ZR, & angulo recto R signant data, ex quibus in illo casu basis FZ quæritur. Similiter numerus 3 adhærens lateri ZR ostendit quòd *in* tertio casu quæratur latus aliquod ZR ex reliquis notatis; viz: ex basi FZ, latere FR, & angulo recto R. Quia verò utrumque casus habetur *in* 1. *Fig.* inde colliges utrumque solvi *per Regulam finuum*.

3.o Casus omnes, qui resolvuntur sine laterum productione, exprimuntur in triangulis intermediis LEF. Sic quia angulo ELF inscribitur (*in Fig.* 2) numerus 14. hinc inferes quod in casu decimo-quarto, *per Regulam tangentium* & absque laterum productione, quæratur aliquis angulus acutus ELF, ex lateribus notatis EL, EF, & angulo recto E notato.

4.o In cornibus XPL, FZR casus omnes arcuum protractione indigentes ita disponuntur, ut in triangulis intermediis semper habeatur propositi casûs solutio. *Ex. gr.* in triangulo XPL (*in Fig.* 1.) quæratur, ut in sexto casu, ex omnibus angulis notatis latus XL. 1.o Quia notatur uterque angulus acutus, productio fiet (*juxta Regulam* 3.) per angulum L adjacentem lateri notato XL. 2.o In triangulo LEF cognoscuntur angulus ELF æqualis dato XLP, & latus EF complementum anguli dati P. & angulus rectus E; ex quibus (*per Reg. sinuum*) invenitur basis LF, complementum lateris quæsiti XL.

CAPUT III.

De analysi trianguli spharici obliquanguli.

PROPOSITIO I.

In omni triangulo spharico obliquangulo est
Ut sinus cujusvis lateris, ad sinum anguli sibi oppositi:
Sic sinus cujusvis alterius lateris, ad sinum anguli sibi oppositi.

Et è contrà.

Ut sinus cujusvis anguli, ad sinum lateris sibi oppositi:
Sic sinus cujusvis alterius anguli, ad sinum lateris sibi oppositi.



Hæc vocatur *Regula Sinuum* seu *Oppositionis*, & locum habet in triangulis obliquangulis, quandocunque invenitur Oppositio.

Demonstr. Ab aliquo angulo B ducatur arcus BD per

pendicularis ad latus oppositum AC, si opus fuerit productum. Sive BD cadat intra, sive extra triangulum ABC, erit in triangulo rectangulo ABD (*per.* 1. *c.* 1. *b*) sinus lateris AB ad sinum totum, ut sinus lateris BD ad sinum anguli A: & in triangulo rectangulo BCD, erit (*per eandem*) sinus totus ad sinum lateris BC, ut sinus anguli BCD ad sinum lateris BD. Ergo

1. *Sinus lat.* AB. 3. *Sinus ang.* BCD. (*ex æquo perturbato*) ut
2. *Sinus totus.* 1. *Sinus lat.* BD. sinus lateris AB, ad sinum
3. *Sinus lat.* BC. 2. *Sinus anguli* A. lateris BC; ita sinus anguli BCD, ad sinum anguli A. Et (*permutando*) ut sinus lateris AB ad sinum anguli BCD seu BCA (idem enim est utriusque sinus:) ita sinus lateris BC ad sinum anguli A; & (*invertendo*) ut sinus anguli BCA ad sinum lateris AB: ita sinus anguli A, ad sinum lateris CB.

PROPOSITIO II.

Resolvere triangulum sphæricum obliquangulum, in quo datur oppositio.

1.° Si quæratur angulus aliquis A, fiat

Ut sinus lateris dati AC, *ad sinum anguli oppositi* B:

Sic sinus lateris noti BC, *ad sinum anguli quæsiti* A.

2.° Si quæratur latus aliquod BC, fiat

Ut sinus anguli dati B, *ad sinum lateris oppositi* AC.

Sic sinus anguli dati A, *ad sinum lateris quæsiti* BC.

Ratio utriusque partis patet *ex præcedente.*



PROPOSITIO III.

Resolvere triangulum obliquangulum in quo nulla reperitur oppositio.

Quando nulla est oppositio, demitti debet ab aliquo angulo arcus perpendicularis, qui triangulum obliquangulum datum resolvat in duo triangula rectangula, quæ per regulas suprà traditas resoluta dabunt latera & angulos quæsitos.



3 *Ex lat.* a b, *&* 11.o *Quare* (ut in. 2. c.) a d. 2. d c, *dicendo*, *ang.* a *&* c *adjacen.* | *Ut tang. ang.* c, *ad tang. ang.* a: *lat. quæſit.* a c | *Sic ſin. lat.* a d, *ad ſin. lat.* d c.

Demonſtr. Ut tang. ang. *c*, ad tang. lat. *b d*:
Sic (*per.* 5. *c.*) ſinus totus, ad ſinum lat. *d c.*
Et, Ut tang. lat. *b d*, ad tang. ang. *a*:
Sic (*per.* 14. *c.*) ſinus lat. *a d*, ad ſinum totum.
Ergo (*per.* 23. *l.* 5) Ut tang. ang. *c*, ad tang ang. *a*:
Sic ſinus lat. *a d*, ad ſinum lat. *d c.*

4 *Ex lat.* a b, *&* 21.o *Quare* (ut in. 13. c.) *ang.* a b d. 2. b c, *dicendo*, *ang* a *&* b *adjac.* | *Ut ſin. compl. ang.* a b d, *ad tang. compl. lat.* a b: *dato lat.* a b, *&* b c. | *Sic ſin. compl. ang.* c b d, *ad tang. compl. lat.* b c.

Demonſtr. Ut ſinus totus, ad tang. compl. lat. *b d*:
Sic (*per.* 8. *c.*) ſinus compl. ang. *a b d*, ad tang. compl. lat. *a b.*
Et, Ut ſinus totus, ad tang. compl. lat. *b d*:
Sic (*per.* 8. *c.*) ſinus compl. ang. *c b d*, ad tang. compl. lat. *b c.*
Ergo (*per.* 11. *l.* 5) Ut ſinus compl. ang. *a b d*, ad tang. compl. lat. *a b*:
Sic ſinus compl. ang. *c b d*, ad tang. compl. lat. *b c.*

Angulus quæritur.

5 *Ex* 2 *ang* b *&* a, *&* 11.o *Quare* (ut in. 13. c.) *ang* a b d. 2. b c a, *dicendo*, *lat.* a b *ab eis in* | *Ut ſin. ang* a b d, *ad ſin. compl. ang.* a: *intercepto* 2 *c.* | *Sic ſin. ang.* c b d, *ad ſin. compl. ang.* c.

Demonſtr. Ut ſinus totus, ad ſinum compl. lat. *b d*:
Sic (*per.* 11. *c.*) ſinus ang. *a b d*, ad ſinum compl. ang. *a.*
Et, Ut ſinus totus, ad ſinum compl. lat. *b d.*
Sic (*per* 11. *c.*) ſinus ang. *c b d*, ad ſinum compl. ang. *c.*
Ergo (*per.* 11. *l.* 5) Ut ſinus ang. *a b d*, ad ſinum compl. ang. *a*:
Sic ſinus ang. *c b d*, ad ſinum compl. ang. *c.*

6 *Ex 2 ang.* a & c, & 1 l. o *Quare* (ut in. 13. c.) a b d. 2. a b c, *dicendo*, *lat.* a b *adjac. ang.* [*Ut sin compl. ang.* a, *ad sin. compl. ang.* c; *quæsit.* b. [*Sic sin. ang.* a b d, *ad sin. ang* c b d.

Demonstr. Ut sinus compl. lat. *b d*, ad sinum totum:
Sic (*per.* 12. *c.*) sinus compl. ang. *a*, ad sinum ang. *a b d.*
Et, Ut sinus compl. lat. *b d*, ad sinum totum:
Sic (*per.* 12. *c*) sinus compl. ang. *c*, ad sinum ang. *c b d.*
Ergo (*per.* 11. *l.* 5) Ut sinus compl. ang. *a*, ad sinum ang. *a b d.*
Sic sinus compl. ang. *c*, ad sinum ang. *c b d.*

7 *Ex 2 lat.* a b, a c, [1 l. o *Quare* (ut in. 2. c.) a d. 2. *ang.* c, *dicendo*, *& ang.* a *ab eis con-* [*Ut sin. lat.* c d, *ad sin. lat.* a d: *tento*, &c. [*Sic tang. ang.* a, *ad tang ang.* c.

Demonstr. Ut sinus lat. *c d*, ad sinum totum:
Sic (*per.* 14. *c.*) tang. lat. *b d*, ad tang. ang. *c.*
Et, Ut sinus totus, ad sinum lat. *a d:*
Sic (*per.* 4. *c.*) tang. ang. *a*, ad tang. lat. *b d.*
Ergo (*per.* 23. *l.* 5) Ut sinus lat. *c d*, ad sinum lat. *a d:*
Sic tang. ang. *a*, ad tang. ang. *c.*

8 *Ex ang.* a, *& 2 lat.* [1 l. o *Quare* (ut in. 13. c.) *ang.* a b d. 2. c b d, *dicendo*, a b, b c *comprehen-* [*Ut tang. compl. lat.* a b, *ad sin. compl. ang.* a b d; *dentib. ang. quæsit.* b. [*Sic tang compl lat.* b c, *ad sin. compl. ang.* c b d.

Demonst. Ut tang. compl. lat. *b d*, ad sinum totum:
Sic (*per.* 16. *c.*) tang. compl. lat. *a b*, ad sinum compl. ang. *a b d.*
Et, Ut tang. compl. lat. *b d*, ad sinum totum:
Sic (*per.* 16 *c.*) tang. compl. lat *b c*, ad sinum compl. ang. *c b d.*
Ergo (*per.* 11. *l.* 5) Ut tang. compl. lat. *a b*, ad sinum compl. ang. *a b d.*
Sic tang. compl. lat. *b c*, ad sinum compl. ang. *c b d.*

LEMMA AD PROP. IV.

In omni triangulo spharico, rectangulum sub sinubus crurum, est ad quadratum radii: ut rectangulum sub sinubus differentiarum crurum à semisumma omnium laterum, Ad quadratum sinûs dimidii anguli verticalis.

Proponatur triangulum BCA; sit angulus quæsitus & verticalis B; crus minus BA, crus majus BC; basis AC.

CONSTRUCTIO.

Ex crure majori BC auferatur B *a* arcus æqualis cruri minori BA, & producatur BA ad *c*, ut adæquet BC. Puncta A *a* & *c* C jungantur arcubus circulorum maximorum AO *a* & *c* FC, quibus subtendantur chordæ AI *a*, *c* PC: angulum verticalem B bisecet planum circuli maximi BOF, bisecabit (*per* 16. *c.* 1. *b*) etiam arcus AO *a*, *c* FC & eorum chordas.



Dein trianguli basis AC transferatur in circulum BA *c* ex A usque ad D, & ex *c* usque ad E, subtensis chordis AE, *c* D, quæ simul cum arcubus, quos subtendunt, bisecentur per rectam LNG. Ducantur etiam rectæ E *a*, DG & huic parallela MA. Denique per puncta EA *a* describatur circulus. In hac constructione

1.° Chordæ A *a*, *c* C (*per* 16. *c.* 2. *b*) sunt parallelæ, sicut & AE, *c* D (*per* 1. *Corol. p.* 29. *l.* 3.)

2.° Arcus BL est semissumma omnium laterum; nam crus minus AB duplicatur per superimpositionem majoris BC; & residuum cruris majoris BC, viz: A *c*, duplicatur per superimpositionem basis AC ex A in D; & residuum basis AC, viz: *c* D, duplicatur in ejus dimidio *c* L.

3.° Arcus AL est differentia inter crus minus BA & BL semissummam omnium laterum. Et AG est sinus illius differentiæ; nam (*per Lemma ante* 16. *c.* 1 *b*) est perpendicularis lineæ LNG quæ à centro ducta bisecat arcum ALE, ejusque chordam AGE.

Similiter arcus *c* L est differentia inter crus majus BC (seu B *c*) & BL semissummam omnium laterum, & *c* N est sinus illius differentiæ.

4.° Recta I *a* est sinus arcus O *a*, & PC sinus arcus FC; nam

nam (*per Lemma ante 16. c. 1. b*) sunt perpendiculares dimetris bisecantibus arcus AO *a*, *c*FC in O & F.

5.° Angulus X est dimidium anguli verticalis ABC, quippe quem (*ex constr.*) bisecat arcus BOP.

Ostendi igitur debet rectangulum sub sinubus crurum BA, BC, esse ad quadratum radii, ut rectangulum sub AG & *c*N, est ad quadratum sinûs anguli X.

DEMONSTRATIO.

In triangulo sphærico B *a* O, quod (*ut patet ex 8 & 9 16. c. 1. b*) est rectangulum in O, sinus baseos B *a* est (*per 1. & 2. b*) ad sinum totum: ut I *a* sinus lateris O *a*, ad sinum anguli oppositi X.

Similiter in triangulo sphærico rectangulo BCF sinus baseos BC est ad sinum totum, ut PC sinus lateris FC ad sinum anguli oppositi X.

Multiplica nunc inter se utriusque analogiæ terminos, & erit (per *Corol. p. 22. l. 5*) rectangulum sub sinubus crurum B *a* (seu BA) & BC, ad quadratum sinûs totius, ut rectangulum sub I *a*, PC, ad quadratum sinûs anguli X.

Quòd primus, secundus, & quartus terminus hujus analogiæ iidem sint, qui in Lemmate propositi, patet *ex c. constr.* Quòd autem tertius æquetur tertio, id est, rectangulum sub I *a*, PC, rectangulo sub AG, *c*N, sic ostendo.

Quia parallelæ sunt A *a* & *c* C, item AE & *c* D, æquales sunt (*per 10. l. 11.*) anguli *a*AE & C *c* D, & (*per 15. l. 11.*) plana triangulorum AE *a*, CD *c* per istas lineas ducta sunt parallela. Deinde quia triangulum sphæricum ADC est (*ex constr.*) Isoscele, recta MA (*ex constr.*) parallela chordæ DC (*per 15. c. 1. b*) tangit sphæram in puncto A; & quia tangit planum trianguli AE *a* in puncto A, & parallela est chordæ DC existenti in plano *c*CD parallelo priori AE *a*, tota MA (*per Corol. p. 16. l. 11.*) est in eodem plano cum triangulo AE *a*: ergo, quia triangulum AE *a* est in eodem plano cum circulo AE *a*, MA est etiam in eodem plano: ergo MA (*per 15. c. 1.*) tangens sphæram in A, tangit etiam circulum AE *a* in eodem puncto A; cùm enim tota circumferentia circuli AE *a* sit (*per 2. Corol. p. 1. c. 1. b*) in super-



ficie ſphæræ, patet quòd MA non poſſit ſecare circulum AE *a*, quin ſecet ſphæram: ergo angulus MAE eſt (*per* 32. *l.* 3) æqualis angulo A *a* E in ſegmento alterno. Sed quia MA, DC, & AE, *c*D ſunt parallelæ, anguli MAE, CD*c* (*per* 10. *l.* 11) ſunt æquales: ergo anguli A *a* E, CD*c* ſunt æquales; adeoque in triangulis AE *a*, C *c* D æquales ſunt anguli *a* AE, C *c* D, item A *a* E, CD*c*: ergo (*per* 2. *Corol. p.* 4. *l.* 6) A*a*: cD :: AE: *c* C. Ergo dimidiando (*per* 15. *l.* 5) I *a*: *c* N :: AG: PC: ergo (*per* 16. *l.* 6) rectangulum ſub extremis I *a*, PC, æquatur rectangulo ſub mediis AG, *c*N.

PROPOSITIO IV.

Datis tribus lateribus invenire angulos.

1.o Si latus aliquod AB ſit quadrans, aliud latus AC vel AE producatur vel minuatur ad quadrantem AD, & ducatur arcus BD. In triangulo CBD, vel EBD ſcitur latus CD vel DE differentia dati AC vel AE à quadrante AD, & latus BC vel BE datum: angulus verò D (ſicut & ABD) eſt rectus, (ut oſtendam *prop.* 6. *c.* 4. *h.*) Ex his invenietur arcus BD, qui (*per* 3. *c.* 1. *h*) eſt menſura anguli A.



2.o Si proponatur triangulum Iſoſcele ABC, ab angulo A inter æqualia latera contento, ad baſim BC biſectam in D, ducatur arcus AD. Jam quia triangula ABD, ACD ſunt (*ut patet*) ſibi mutuò æquilatera, anguli ad D ſunt (*per* 14. *c.* 1. *h*) æquales; adeoque (*per* 2. *c.* 1. *h*) recti. Ergo in triangulo ABD cognoſcuntur la-

tera AB, BD cum angulo recto D. Ex his (*per* 3. *c.* 2. *h*) noti fient anguli B & BAD, quibus (*per* 14. *c.* 1. *h*) æquantur anguli C & CAD.

3.° Extra casus prædictos, fiat (si quæratur *v. g.* angulus B) ut rectangulum sub sinubus crurum AB, CB, ad quadratum radii: sic rectangulum sub sinubus differentiarum crurum AB, CB à semisumma omnium laterum, ad aliud; & erit (*per Lemma*) quartus terminus quadratum sinûs dimidii anguli quæsiti B.



Nota angulum quæsitum semper accipiendum esse pro angulo verticali, & latus oppositum pro basi.

Ut meliùs intelligatur casûs hujus solutio, praxim tum per sinus naturales, tum per Logarithmos exhibebo. Sit igitur in triangulo proposito ABC crus minus BA 39. gr. 20′. crus majus BC 60 gr. basis AC 78 gr. 30′.

Ordo resolutionis per sinus naturales.

1.° Multiplicando inter se sinus naturales crurum BA BC invenitur rectangulum sub sinubus crurum, quod est primus terminus.

2.° Ducendo sinum totum in seipsum, habetur quadratum radii, quod est secundus terminus.

3.° Subtracto crure BA ex semisumma omnium laterum; quære sinum residui seu differentiæ: similiter subtracto crure BC ex eadem semisumma, quære sinum differentiæ. Hos differentiarum sinus inter se multiplica, & prodibit rectangulum sub sinubus differentiarum crurum à semisumma omnium laterum, quod est tertius terminus.

4.° Ducatur secundus terminus in tertium, & productus dividatur per primum; erit quotiens quadratum sinûs dimidii anguli B; hujus radicem extrahe, notusque erit dimidius, adeoque totus angulus B.

Forma calculi per Logarithmos.

1.o Sinus Logarithmicos { lat: BA --- 98019735. & lat: BC -- 99375306. } Adde.
Erit ſumma --- 197395041.

Rectangulum ſub ſinubus crurum, & primus terminus.

2.o Duplica Logarithmum ſinûs totius --- 100000000.
ut habeas quadratum radii ------ 200000000.
quod eſt, ſecundus terminus.

3.o Latera { BA. 39 gr. -- 20′ / BC 60 --- 00 / AC 78 --- 30 } Adde ut habeatur

Laterum ſumma. 177 --- 50 &
Semiſumma ---- 88 --- 55 hinc ſubtrahe
Latus BA --- 39 --- 20
Reſiduum --- 49 --- 35 eſt prima differentia.
Ex eadem ſemis. 88 --- 55 ſubtrahe
Latus BC --- 60 --- 00
Reſiduum --- 28 --- 55 eſt ſecunda differentia.

Differentiarum Logarithmicos ſinus { 98815842 / 96844297 } Adde
Erit ſumma --- 195660139 Rectangulum ſub ſinubus differentiarum, quod eſt tertius terminus.

4.o 2 Terminum --- 200000000 } Adde
& 3 Terminum 195660139 }
Ex ſumma --- 395660139 } Subtrahe
1 Terminum 197395041 }
Reſiduum ---- 198265098 eſt quadratum ſinûs dimidii anguli B; ac proinde radix ſeu ſemiſſis ejus 99132549 eſt ipſe ſinus, qui in tabulis inventus dat 54 gr. 59′, pro dimidio anguli B; adeoque totus angulus B continet 109 gr. 58′.

LEMMA AD PROP. V.

Dato quacunque triangulo ſpherico (ABC) *eſt in ſphæra aliud triangulum* (DEF) *cujus ſingula latera* (DF, DE, EF) *æquantur ſingulis angulis* (A, B, C:) *& ſinguli anguli* (D, E, F,) *ſingulis lateribus* (AB, BC, AC:) *mutato tamen utrinque angulo maximo v. g.* B & F *in ſuum complementum ad duos rectos.*

Perficiatur circulus AB, cui occurrant producti AC in X, & BC in T. Deinde punctis A, B, C, tanquam polis seu centris, intervallo quadrantis describantur circuli GO, KP, RS. Hinc



1.o Quia A est polus circuli GO, anguli G, Z (*per 6. c. 1. h*) sunt recti: similiter quia B est polus circuli KP, recti sunt anguli K, L; & quia C est polus circuli RS, recti sunt anguli M, N.

2.o Quia anguli G & K sunt recti, arcus GD, KD transeunt (*per 6. c. 1. h*) per polum circuli GK, qui proinde est D, adeoque (*per 5. c. 1.*) GD, KD sunt quadrantes. Similiter quia recti sunt anguli Z, N, arcus ZF, NF concurrunt in polo F, & sunt quadrantes. Denique quia anguli L & M sunt recti, arcus ME, LE concurrunt in polo E, & sunt quadrantes.

Demonstr. jam I. Pars. Et 1.o Quia quadrantes sunt LE, KD, sublato communi DL, restant DE, KL æquales. Sed (*per 3. c. 1. h*) KL, adeoque & DE, est mensura anguli KBL, qui complet angulum maximum B ad duos rectos. Ergo.

2.o Quia quadrantes sunt ZF, GD, sublato communi ZD, restat DF æqualis arcui GZ, qui est (*per 3. c. 1. h*) mensura anguli BAC.

3.o Quia quadrantes sunt ME, NF, sublato communi MF, restat EF æqualis arcui MN, qui est mensura anguli MCN, id est (*per 2. c. 1. h*) anguli ACB.

2. *Pars.* 1.o Quia quadrantes sunt CN, AZ, sublato communi CZ, restat AC æqualis arcui ZN, mensuræ anguli ZFN, qui complet angulum maximum EFD ad duos rectos.

2.o Quia quadrantes sunt CM & BL, ablato communi CL, restat LM mensura anguli FED, & æqualis arcui BC.

3.o Quia AG & BK sunt quadrantes, subtracto communi BG, restat AB æqualis arcui GK, qui est mensura anguli GDK, id est (*per* 2. *v.* 1. *h*) anguli EDF.

PROPOSITIO V.

Datis tribus angulis invenire latera.

Proponatur triangulum ABC, in quo angulus B sit *v. g.* 109 gr. 58′: A 56 gr. 10′. C 37 gr. 26′.

Anguli maximi B complementum ad duos rectos, viz: 70 gr. 2′, adscribe lateri oppositi AC: lateri BC appone 56 gr. 10′. quantitatem anguli oppositi A: & lateri AB 37 gr. 26′. quantitatem anguli oppositi C. Angulis sic in latera opposita translatis, (*per præcad.*) ex tribus lateribus datis invenies angulum B esse 101 gr. 30′. Accipe ejus complementum ad duos rectos, viz: 78 gr. 30′. erit hæc vera quantitas lateris oppositi AC.



Nota quòd invento latere ex tribus angulis, vel uno angulo ex tribus lateribus, reliqua facilè investigentur per Regulam sinuum.

CAPUT IV.

De specie laterum & angulorum.

Quia (ut alibi diximus) arcus & anguli eosdem habent sinus cum suis complementis ad duos rectos; hinc fit ut, invento per trianguli analysim sinu aliquo, dubitari possit, qualis ipsi arcus vel angulus correspondeat: *v. g.* invento sinu 87 gr. dubitari potest utrùm angulus illi debitus sit 87 gr. an verò 93 gr. prioris complementum ad duos rectos. Ut huic incommodo occurratur, propositiones aliquas subjiciam, quæ ad determinandam laterum & angulorum speciem pro regulis erunt.

Consultius fortè erit ut caput hoc à Tyronibus initio prætermittatur, quia laterum & angulorum species plerunque potest aliunde determinari.

PROPOSITIO I.

Si ex puncto (A) *quod non est polus circuli* (DOEZ) *ad*

ejus circumferentiam ducantur circulorum maximorum arcus quotcunque (AD, AX, AZ;) *arcus* (AD) *per polum transiens eſt maximus: & reliquis ille major qui maxime vicinior.*

Demonſtr. Quia arcus DAF tranſit per polum circuli DOFZ, (*per 6. c. 1. h*) illi inſiſtit ad angulos rectos: ergo planum DAF (*per 4. def. c. 1. h*) eſt rectum plano DOFZ: ergo ſi ducatur AB perpendiculatis ad ſectionem communem DF, erit AB (*per 4. def. l. 11.*) recta plano DOFZ; adeoque (*per 3. def. l. 11.*) etiam lineis BD, BX, BZ: ergo triangula ABD, ABX, ABZ (ſubintelligi debent in hac figura chordæ arcuum AD, AX, AZ, quæ ad vitandam confuſionem non exprimuntur) ſunt rectangula in B: ergo cùm latus AB ſit commune, & BD per centrum tranſiens ſit (*per 7. l. 3.*) majus quàm BX, & BX quàm BZ; baſis AD (*per 5. Corol. p. 47. l. 1.*) major eſt baſi AX, & AX major baſi AZ: ergo (*per 26. l. 3.*) arcus AD major eſt arcu AX, & AX major arcu AZ.



PROPOSITIO II.

In triangulo ſpherico rectangulo, quodvis latus circa angulum rectum eſt ejuſdem ſpeciei cum angulo oppoſito.

Hoc eſt, ſi latus aliquod BX circa angulum rectum B ſit quadrans, angulus oppoſitus BAX erit rectus: ſi ſit majus minuſve quadrante, angulus erit ſimiliter major minorve recto: & è converſo.



Demonſtr. 1.° Quia angulus B eſt rectus, & BX quadrans; eſt X (*per 5. & 6. c. 1. h*) polus circuli BA. Ergo quia AX tranſit per polum, angulus BAX (*per 6. c. 1. h*) eſt rectus.

2.° Si ſit BF minus quadrante, baſis AF cadet inter X & B: ergo angulus BAF erit minor recto BAX.

3.o Si sit BZ majus quadrante, basis AZ cadet ultra AX: ergo angulus BAZ est major recto BAX.

Conversa patet; nam si anguli differrent specie à lateribus oppositis, latera non essent ejusdem speciei cum angulis oppositis.

PROPOSITIO III.

Si latera circa angulum rectum, vel anguli ad basim, sint ejusdem speciei, & neque quadrantes, neque recti; basis est minor: si sint diversa, est major quadrante.

Demonstr. I. Pars. Sint 1.o BA, BF minora quadrante: ergo (*per* 5. *c.* 1. *h*) A non est polus circuli BX: ergo (*per* 1. *h*) basis AF est minor quadrante AX.

2.o Sint circa G angulum rectum, CA, CF majora quadrante: A (*per* 5. *c.* 1. *h*) non erit polus circuli CXB: ergo (*per* 1. *h*) basis AF est minor quadrante AX, nam magis distat ab AC transeunte per polum.

2. *Pars.* Sit latus CA majus, & CZ minus quadrante. Quia CA est majus, A non est polus circuli CXB: & quia CZ est minus quadrante, basis AZ cadet inter C & polum X: ergo (*per* 1. *h*) est major quadrante AX.

Quod dictum de lateribus, verum est de angulis ad basim; quia sunt ejusdem speciei cum lateribus oppositis.

PROPOSITIO IV.

Si basis sit major quadrante, latera sunt diversa speciei: si minor, sunt ejusdem.

Patet ex præced: nam si latera essent ejusdem speciei, basis esset minor: ergo quando est major quadrante, sunt speciei diversæ. Similiter si essent diversæ speciei, basis esset major: ergo quando basis est minor, sunt ejusdem.

PROPOSITIO V.

Si latus aliquod (BX) *circa angulum rectum* (B) *sit quadrans, etiam basis* (AX) *est quadrans: & è converso.*

Demonstr. I. Pars. Quia angulus B est rectus, & BX quadrans, punctum X (*per* 5. & 6. *c.* 1. *h*) est polus circuli BA: ergo

ergo (*per* 5. *c.* 1. *h*) basis AX est quadrans.



2. *Pars.* Si neutrum latus sit quadrans, sunt vel singula majora, vel singula minora, vel unum majus, alterum minus quadrante: sed in primo & secundo casu basis (*per* 3. *h*) est minor, & in tertio est major quadrante: ergo quando basis est quadrans, aliquod aliud latus est quadrans.

Corollarium.

In omni triangulo rectangulo vel duo tantùm latera majora sunt quadrante, vel nullum est majus; quòd enim non possint esse tria singula quadrante majora, statim ostendam. Unde quotiescunque in triangulo rectangulo datur unum latus majus quadrante, produc latera duo majora donec fiant semicirculi, & habebis (*per* 2. *Corol. p.* 4. *c.* 1. *h*) novum triangulum rectangulum, cujus singula latera erunt quadrante minora.

Propositiones explicatæ sufficiunt ad determinandam laterum & angulorum speciem, si duos casus excipias. Primus est quando vel duo anguli sunt recti; vel duo latera quadrantes; nam ex his nil potest de tertio angulo vel latere determinari. Secundus habetur, quando solùm cognoscitur latus aliquod circa angulum rectum, cum angulo ipsi opposito; nam possunt hæc esse ejusdem speciei in triangulis diversis, ut patebit consideranti triangula ACZ, ACX, ACF, item ABF, ABX, ABZ.

Quomodò & quatenùs hæc possint applicari triangulis obliquangulis posteà ostendam.

PROPOSITIO VI.

Si in triangulo spherico Isosceli (ABC) *latera æqualia* (AB, AC) *sint quadrantes, anguli* (B & C) *ad basim sunt recti; si sint majora, anguli sunt obtusi; si minora, sunt acuti.*



Demonstr. Quia latera AB, AC æquantur semicirculo, anguli B & C (*per* 13. *c.* 1. *h*) simul æquant duos rectos: ergo cùm (*per* 11. *a.* 1. *h*) sint æquales, ambo sunt recti.

Eodem modo (*per* 11. & 13. *c.* 1. *h*) demonstrantur secunda & tertia pars propositionis.

Corollarium.

Eodem ferè modo (*per conversas* 11 & 13. *c.* 1. *h*) demonstres, quòd si anguli ad basim sint ambo recti, latera AB, AC sint quadrantes: item quòd si anguli isti sint inter se æquales & simul majores duobus rectis, latera opposita AB, AC sint singula quadrante majora: minora verò, si anguli æquales B & C sint acuti.

LEMMA.

Si anguli (B, C) *ad basim sint obliqui & ejusdem speciei, perpendiculum ab alio angulo* (A) *ductum cadet intra: aliàs cadet extra triangulum.*



Demonstr. I. Pars. Quia si caderet extra, ad E *v. g.* anguli ABE, ACE (*per* 2. *h*) convenirent specie cum latere opposito AE; adeoque & inter se. Sed (*ex suppos.*) ABE, ACB sunt ejusdem speciei: ergo ACB, ACE sunt ejusdem speciei; quod est absurdum, cùm ACB ponatur obliquus, & ACE sit (*per* 2. *c.* 1. *h*) ejus complementum ad duos rectos.

2. *Pars.* Quia si perpendiculum AD cadat intra triangulum, anguli B & ACB erunt (*per* 2. *h*) ejusdem speciei cum latere opposito AD: ergo non different specie inter se.

PROPOSITIO VII.

Si alicujus trianguli sphærici (ABC) *omnes anguli sint acuti, singula latera sunt minora quadrante.*

Demonstr. Ab angulo A demittatur perpendiculum AD. Quia anguli B, C sunt (*ex suppos.*) acuti, adeoque ejusdem speciei, AD cadet intra triangulum, & erunt in triangulo ADC ad basim AC anguli C & DAC ambo acuti: ergo (*per* 3. *h*) basis AC est minor quadrante. Si ab angulis B & C duxeris perpendi-

cula, idem eodem modo demonstres de lateribus AB, BC.

PROPOSITIO VIII.

Si trianguli sphærici (ABC) *singula latera sint quadrante majora, omnes anguli sunt obtusi.*



Demonstr. Si omnes anguli essent acuti, omnia latera (*per 7 h*) essent minora quadrante: ergo aliquis est vel rectus, vel obtusus. Sit ille angulus A. Centro A, intervallo quadrantis, describe arcum ED concurrentem in F cum CB producto. Erit A (*per 5. c. 1. h*) polus circuli ED, & arcus AE, AD quadrantes: ergo angulus AED, adeoque (*per 2. c. 1. h*) & CEF est rectus. Item ED est (*per 3. c. 1. h*) mensura anguli A vel recti, vel obtusi. Ergo ED est ad minimum quadrans, adeoque EF est major quadrante. Sed etiam arcus CB (*ex suppos.*) adeoque & CF est major quadrante: ergo CF, EF simul excedunt semicirculum: ergo (*per 13. c. 1. h*) anguli ECF, CEF simul excedunt duos rectos. Sed (*ex dictis*) CEF est rectus: ergo ECF seu angulus C est obtusus. Eodem modo, si produxeris DE, BC donec concurrant versùs E & C, ostendas angulum B obtusum: idemque similiter ostendetur de angulo A.

Corollaria.

1. *Eodem ferè modò ostendas omnes angulos esse obtusos, si sint duo latera* AC, AB *majora quadrante, & tertium* CB *quadrans.*

2. *Si in triangulo aliquo duo latera* BD, CD *sint minora quadrante, & tertium* BC *majus; angulus maximo lateri oppositus, est obtusus, & duo reliqui acuti.*



Producantur DB, DC, donec concurrunt in A, erunt (*per 2. Corol. p. 4. c. 1. h*) trianguli ABC latera omnia majora quadrante, adeoque omnes anguli obtusi. Sed anguli A & D sunt æquales: ergo D est obtusus. Anguli verò DBC, DCB sunt (*per 2. c. 1. h*)

complementa obtusorum ACB, ABC, adeoque acuti.

3. *Si in triangulo* ABC, *duo anguli quivis* B *&* C *sint obtusi, aliqua duo latera sunt majora quadrante.*

Nam si tertius A sit acutus, trianguli oppositi DBC anguli omnes erunt acuti: ergo (*per* 7. *h*) latera DB, DC sunt minora, adeoque AB, AC sunt majora quadrante.

Si verò omnes anguli sint obtusi; quia A & B sunt majores duobus rectis: arcus AC, BC sunt simul (*per* 13. *c.* 1. *h*) majores semicirculo: ergo aliquis eorum est major quadrante. Eodem modo ostendam AC & AB, item BC & AB excedere semicirculum: ergo aliqua duo latera singula excedunt quadrantem.

4. *Si in triangulo obliquangulo sint duo latera minora quadrante, duo anguli sunt acuti.*

Nam si duo essent obtusi, duo latera (*per præced.*) essent majora quadrante.

5. *Si in triangulo obliquangulo aliquod unum latus sit majus quadrante, aliquis angulus est obtusus.*

Nam si omnes anguli essent acuti, omnia latera (*per* 7. *h*) essent minora quadrante.

6. *Si nullus angulus sit acutus, latus aliquod est minus quadrante.*

Nam si omnia essent majora, omnes anguli (*per* 8. *h*) essent obtusi. Si omnia essent quadrantes, omnes anguli (*per* 3. *c.* 1. *h*) essent recti. Si duo essent quadrantes & tertium latus majus quadrante; anguli quadrantibus oppositi (*per* 11. *&* 13. *c.* 1. *h*) essent recti, angulus verò majori lateri oppositus (*per* 3. *c.* 1. *h*) major recto. Demum si duo latera essent quadrante majora & unum quadrans, omnes anguli (*per* 1. *Corol. h*) essent obtusi.

PROPOSITIO IX.

In triangulis obliquangulis laterum & angulorum species determinare.

Si in triangulo proposito dentur tria latera, vel tres anguli, præsens difficultas locum non habet; nam (*per* 4. *&* 5. *c.* 3. *h*) invenitur semissis anguli verticalis, quæ semper est (*per* 10. *c.* 1. *h*) minor recto. Tota igitur difficultas reducitur ad alios quatuor casus quos hîc breviter explicabimus.



PRIMUS CASUS.



Quando dantur duo latera (BA, AC) *& angulus contentus* (A,) *reliquorum ſpeciem invenire.*

Ducatur perpendiculum BD. In triangulo rectangulo BAD, ex angulo A (*per* 2. *h*) cognoſcitur ſpecies lateris BD. Ex BA baſi & latere BD (*per* 4. *h*) habetur ſpecies lateris AD. Inveniatur (*per* 3. *c.* 2. *h*) latus AD, & notum erit latus DC. Ergo in triangulo BDC habetur ſpecies laterum BD, DC; adeoque (*per* 2. *h*) & angulorum C & DBC, & [*per* 3. *h*] baſeos BC.

SECUNDUS CASUS.

Quando dantur duo anguli [A & B] *cum latere interjecto* [BA] *reliquorum ſpeciem determinare.*

Ab aliquo angulo noto [B] demittatur perpendiculum BD. In triangulo rectangulo BAD, ex angulo A [*per* 2. *h*] ſcitur ſpecies lateris BD. Ex ſpecie lateris BD & baſeos BA [*per* 4. *h*] cognoſcitur ſpecies lateris AD. Invento [*per* 3. *c.* 2. *h*] angulo ABD, habetur angulus CBD, adeoque [*per* 2. *h*] ſpecies lateris DC. Ergo in triangulo DBC ſcitur ſpecies laterum BD, DC; adeoque [*per* 2. *h*] angulorum C & CBD, [*per* 4. *h*] baſeos BC.

TERTIUS & QUARTUS CASUS.

Notis duobus lateribus cum angulo eorum uni oppoſito; vel duobus angulis cum latere quod opponitur alicui angulo noto, cæterorum ſpeciem determinare.

Pro his duobus caſibus non eſt aliqua regula ſeu methodus generalis, per quam reliquorum arcuum & angulorum ſpecies poſſit univerſaliter determinari. In caſibus particularibus ad hoc inſervient *Corollaria poſt Prop. præced.* & cap. I. *Prop.* 9. 10. 11. 12. 13. quæ Lector conſulat.

Nota non omnes Geographos in eodem loco constituere primum Meridianum. Angli & Belgæ à Monte Teneriffa, Galli à parte occidentali Insulæ de *Ferro*, alii ab aliis locis longitudinum initium sumunt. Unde contingit in designanda locorum longitudine magna inter Authores discrepantia. Observari igitur debet inter legendum, quod longitudinis initium unusquisque Author statuerit.

PROBLEMA I.

Cognitâ maximâ declinatione Solis (quæ est gr. 23. 30.') & ejus distantiâ à proximo puncto Æquinoctiali, invenire præsentem declinationem: & è converso, datâ præsenti Solis declinatione, & declinatione maximâ, invenire ejus locum in Ecliptica.

Sit in Ecliptica EX locus Solis B, distans 60 gr. ab initio Arietis A. In triangulo BOA, angulus O (*per 6. c. 1. h*) est rectus, nam declinationis circulus PBD (*per 8. def. h*) transit per P, D Polos Æquatoris ÆR: angulus A (*per 3. c. 1. h*) eosdem gradus continet quos XR maxima Solis declinatio, viz. 23. gr. 30'. Et latus AB (*ex suppos.*) est 60. gr. Ex his tribus (*ut in casu primo schematis c. 2. h*) invenitur præsens Solis declinatio OB 20 gr. 12'.



E converso: Si dentur anguli O rectus, & A 23 gr. 30' cum præsenti declinatione Solis OB 20 gr. 12'. Ex his tribus (*ut in casu 7. ejusdem schem.*) invenitur Solis in Ecliptica locus B distare 60 gr. ab initio Arietis A, id est, arcum BA esse 60 gr.

PROBLEMA II.

Iisdem cognitis invenire ascensionem rectam Solis aut alterius puncti Ecliptica: & è converso, his datis invenire Solis declinationem.

Sit B locus Solis vel puncti in Ecliptica, cujus quæritur ascensio

aſcenſio recta AO. In triangulo AOB angulus A eſt (*ut priùs*) 23 gr. 30′ : angulus O eſt rectus, quia (*per def. 9. b*) in ſphæra recta Æquator ÆR eſt rectus Horizonti PBD : latus verò AB ſupponitur notum, *v. g.* 60 gr. quale eſt quando Sol eſt in initio Geminorum. Ex his tribus (*ut in 2. caſu 1. ſchem.*) eruitur latus AO 57. gr. 48′. Aſcenſio recta puncti B.

Et è converſo, datâ aſcenſione rectâ AO, cum angulis O & A, invenitur (*ut in 4. caſu 1. ſchem.*) BO Solis declinatio.

PROBLEMA III.

Datâ Poli altitudine cum declinatione Solis invenire differentiam aſcenſionalem, & conſequenter aſcenſionem obliquam: & è converſo, datâ differentiâ aſcenſionali invenire Solis declinationem.

Sit in EX, Ecliptica, B locus Solis orientis in Horizonte obliquo ZN ; ſit etiam æquator ÆR ejuſque polus P. Horizon rectus & circulus declinationis Solis ſit PCL ; erit aſcenſio recta DC, aſcenſio obliqua DA, differentia aſcenſionalis AC. In triangulo ABC, latus BC eſt declinatio Solis data, *v. g.* gr. 20. 12′ : angulus C (*per 6. c. 1. b*) eſt rectus : angulus A æqualis eſt arcui NR diſtantiæ Horizontis ZN ab Æquatore ÆR : quæ diſtantia eſt complementum altitudinis poli, ut patebit intuenti ſphæram Armillarem. Cùm igitur hîc Leodii altitudo poli ſit 50 gr. 40′, erit ejus complementum, adeoque & angulus A 39 gr. 20′. Ex his tribus (*ut in 5. caſu 1. ſchem.*) invenitur latus AC differentia aſcenſionalis 26 gr. 41′. Hanc ſubtrahe ex DC aſcenſione rectâ 57 gr. 48′. priùs inventâ, reſiduum 31 gr. 7′, erit aſcenſio obliqua DA.



E converſo. In triangulo ABC notâ differentiâ aſcenſionali AC, & angulis A & C, invenitur (*ut in 4. caſu 1. ſchem.*) declinatio Solis BC.

Nota, quando Sol Borealis eſt, differentiam aſcenſionalem

ſubtrahendam eſſe aſcenſioni rectæ, ut habeatur aſcenſio obliqua: addendam verò, ut habeatur deſcenſio obliqua. Quando autem Sol Auſtralis eſt, invenitur aſcenſio obliqua addendo, & deſcenſio obliqua ſubtrahendo aſcenſioni rectæ differentiam aſcenſionalem.

Corollarium.

Notâ Solis differentiâ aſcenſionali determinare horam Ortûs vel Occaſûs Solaris.

Quamvis Solis motus reverâ ſpiralis ſit; Aſtronomi tamen, calculi commoditate ducti, imaginantur Solem motu diurno deſcribere circulum vel in æquatore vel æquatori parallelum; cujus portio illa quæ ſupra Horizontem extat, vocatur *Arcus diurnus*, eſtque in Æquinoctiis ſemicirculus æquatoris, extra Æquinoctia aliquando major, interdum minor ſemicirculo. Unde ſequitur arcum ſemidiurnum nunc excedere, nunc deficere à quadrante. Ut igitur pro die conſtituto inquiratur ortus Solis, inveniri debet 1.° quantus ſit arcus ſemidiurnus, quem Sol tunc deſcribit. 2.° ſpatium temporis iſti Solis motui correſpondens.

Sit PRÆ Circulus Meridianus, OF arcus diurnus, reliqua conſtructio ut in *Probl.* 3. Jam quia Solis exiſtentis in B aſcenſio recta eſt (*ex dictis*) DC, & aſcenſio obliqua DA; erit differentia aſcenſionalis CA: & quia Sol oritur in B, erit BO arcus ſemidiurnus, qui ſimilis eſt æquatoris arcui ÇÆ. Sed differentia inter arcum CÆ & quadrantem AÆ eſt aſcenſionalis differentia CA. Cùm igitur, Sole exiſtente in ſignis borealibus, arcus ſemidiurni ſint in Hæmiſphærio boreali quadrante majores; minores verò, dum Sol eſt in Auſtralibus; ſequitur quòd differentia aſcenſionalis, quando Sol Borealis eſt, addi debeat quadranti, ut habeatur arcus ſemidiurnus; ſubtrahi verò, quando eſt Auſtralis. Unde addendo quadranti differentiam aſcenſionalem 26. gr. 41′. ſuprà (*Probl.* 3.) inventam, habebitur arcus ſemidiurnus 116. gr. 41′. cùm Sol eſt in initio Geminorum.

Deinde, quia ſingulis 24 horis æquator & circuli omnes ei paralleli toti tranſeunt per Meridianum motu æquabili; ſequitur, quòd 6 horarum ſpatio per Meridianum tranſeat

quadrans unus tum æquatoris, tum cujuſque circuli paralleli; unde differentia aſcenſionalis in tempus converſa, & addita vel ſubtracta (prout Solis locus exigit) 6 horis, dabit tempus correſpondens arcui ſemidiurno.

Differentiam verò aſcenſionalem, vel quemcunque æquatoris arcum in tempus convertere, non eſt aliud quàm determinare, quanto tempore arcus ille per Meridianum tranſeat. Cùm igitur horis ſingulis una vigeſima quarta æquatoris pars ſeu 15 gradus per Meridianum tranſeant; invenietur tempus cuicunque arcui correſpondens, dividendo ejus gradus & minuta per 15 : vel, faciliùs, ea multiplicando per 4, mutatis in producto gradibus in minuta, & minutis primis in ſecunda. Sic aſcenſionalis differentia 26 gr. 41′ multiplicata per 4 dat, ſignis mutatis, 1 h. 46′. 44″. ſeu Hor. 1. 46′. 44″.

G.	
26	41′
	4
106′	44″ *ideſt*
1 h	46 44

Operationis ratio obvia eſt; nam Gradus deprimere ad Minuta, & prima mutare in ſecunda, eſt productum dividere per 60. Multiplicare verò per 4, & productum dividere per 60, non eſt aliud quàm dividere per 15, ut requiritur.

Dixi *expressis vel intellectis*; quia si punctum, ut quandoque fit, sequatur immediatè primam notam, indicium est deesse unam: si verò præfigatur primæ, ostendit desiderari duas notas, quibus totidem Cyphræ sunt substituendæ. *Ex. gr.* Si in Tabulis deprehendatur Tangens 88143 57. 1, adjici debet una Cyphra, sic 88143 57. 10: vel si inveniatur Secans 85943689. præfigendæ sunt duæ Cyphræ, sic 85943689.00, ut habeatur Tangens vel Secans integra pro radio 10000000.

TABULA LOGARITHMORUM,

Pro Numeris naturali ſerie creſcentibus ab Unitate ad 1000.

QUæ ad Logarithmorum naturam, inventionem, uſumque pertinent, videre poterit ſtudioſus Lector in Arithmetica methodicè ſuccinctèque tradita Cap. 7. ubi (§. 3. & 4.) demonſtratur modus facilis inveniendi cujuſcunquè numeri, ſive fracti, ſive integri Logarithmum; & (§. 5.) numerum cuicunque Logarithmo dato correſpondentem. Nec refert quòd Regulæ ibidem traditæ adaptentur præcipuè Tabulis majoribus continentibus Logarithmos numerorum naturali ſerie creſcentium ab unitate ad 10000, quales paſſim extant; nam quicunque Regulas illas, & illarum demonſtrationes intellexerit, quæ iſtic præcipiuntur, ſequenti Tabulæ facilè applicabit.

Aliud etiam eſt, quod ſi à Lectore obſervetur, Tabulæ hujus Logarithmicæ brevitatem aliquatenùs compenſabit; ſi nimirum quando numerus proponitur excedens maximum in Tabula, eum (*per Reductionis Regulam*) convertat in alium minorem, ſed æquivalentem in ſpecie diverſa: *Ex. gr.* Si in triangulo aliquo reſolvendo detur latus continens pedes 2400, reducantur pedes ad ulnas 800, vel paſſus 480, vel hexapedas 400, vel decempedas 240. Et per numeri ſic reducti Logarithmum perficiatur operatio.

Quòd ſi contingat ut poſt reductionem ſuperſit aliqua fractio, quomodò inveniatur Logarithmus huic correſpondens in Arithmetica indicatur.

N.	Logarith.
1	0.0000000
2	0.3010300
3	0.4771212
4	0.6020600
5	0.6989700
6	0.7781512
7	0.8450980
8	0.9030900
9	0.9542425
10	1.0000000
11	1.0413927
12	1.0791812
13	1.1139433
14	1.1461280
15	1.1760913
16	1.2041200
17	1.2304489
18	1.2552725
19	1.2787531
20	1.3010300
21	1.3222193
22	1.3424227
23	1.3617278
24	1.3802112
25	1.3979400
26	1.4149733
27	1.4313638
28	1.4471580
29	1.4623980
30	1.4771212
31	1.4913617
32	1.5051500
33	1.5185139
34	1.5314789
35	1.5440680
36	1.5563025
37	1.5682017
38	1.5797836
39	1.5910646
40	1.6020600
41	1.6127839
42	1.6232493
43	1.6334685
44	1.6434527
45	1.6532125
46	1.6627578
47	1.6720979
48	1.6812412
49	1.6901961
50	1.6989700
51	1.7075702
52	1.7160033
53	1.7242759
54	1.7323938
55	1.7403627
56	1.7481880
57	1.7558748
58	1.7634280
59	1.7708520
60	1.7781512
61	1.7853298
62	1.7923917
63	1.7993405
64	1.8061800
65	1.8129133
66	1.8195439
67	1.8260748
68	1.8325089
69	1.8388491
70	1.8450980
71	1.8512583
72	1.8573325
73	1.8633229
74	1.8692317
75	1.8750613
76	1.8808136
77	1.8864907
78	1.8920946
79	1.8976271
80	1.9030900
81	1.9084850
82	1.9138138
83	1.9150781
84	1.9242793
85	1.9294189
86	1.9344984
87	1.9395192
88	1.9444827
89	1.9493900
90	1.9542425
91	1.9590414
92	1.9637878
93	1.9684829
94	1.9731278
95	1.9777236
96	1.9822712
97	1.9867717
98	1.9912761
99	1.9956352

100

N.	Logarith.	N.	Logarith.	N.	Logarith.
101	2.0043214	134	2.1271048	167	2.2227165
102	2.0086602	135	2.1303338	168	2.2253093
103	2.0128372	136	2.1335389	169	2.2278867
104	2.0170333	137	2.1367206	170	2.2304489
105	2.0211893	138	2.1398791	171	2.2329961
106	2.0253059	139	2.1430148	172	2.2355284
107	2.0293838	140	2.1461280	173	2.2380461
108	2.0334238	141	2.1492191	174	2.2405492
109	2.0374265	142	2.1522883	175	2.2430380
110	2.0413927	143	2.1553360	176	2.2455127
111	2.0453230	144	2.1583625	177	2.2479733
112	2.0492180	145	2.1613680	178	2.2504200
113	2.0530784	146	2.1643528	179	2.2528530
114	2.0569048	147	2.1673173	180	2.2552725
115	2.0606978	148	2.1702617	181	2.2576786
116	2.0644580	149	2.1731863	182	2.2600714
117	2.0681859	150	2.1760913	183	2.2624511
118	2.0718820	151	2.1789769	184	2.2648178
119	2.0755470	152	2.1818436	185	2.2671717
120	2.0791812	153	2.1846914	186	2.2695129
121	2.0827854	154	2.1875207	187	2.2718416
122	2.0863598	155	2.1903317	188	2.2741578
123	2.0899051	156	2.1931246	189	2.2764618
124	2.0934217	157	2.1958996	190	2.2787536
125	2.0969100	158	2.1986571	191	2.2810334
126	2.1003704	159	2.2013971	192	2.2833012
127	2.1038037	160	2.2041200	193	2.2855573
128	2.1072100	161	2.2068259	194	2.2878017
129	2.1105897	162	2.2095150	195	2.2900346
130	2.1139433	163	2.2121876	196	2.2922561
131	2.1172713	164	2.2148438	197	2.2944662
132	2.1205739	165	2.2174839	198	2.2966652
133	2.1238516	166	2.2201081	199	2.2988531
134	2.1271048	167	2.2227165	200	2.3010300

N.	Logarith.	N.	Logarith.	N.	Logarith.
200					
201	2.3031961	234	2.3692159	267	2.4265113
202	2.3053514	235	2.3710679	268	2.4281348
203	2.3074960	236	2.3729120	269	2.4297523
204	2.3096302	237	2.3747483	270	2.4313638
205	2.3117539	238	2.3765770	271	2.4329693
206	2.3138672	239	2.3783979	272	2.4345689
207	2.3159703	240	2.3802112	273	2.4361626
208	2.3180633	241	2.3820170	274	2.4377506
209	2.3201463	242	2.3838154	275	2.4393327
210	2.3222193	243	2.3856063	276	2.4409091
211	2.3242824	244	2.2873898	277	2.4424798
212	2.3263359	245	2.3891661	278	2.4440448
213	2.3283796	246	2.3909351	279	2.4456042
214	2.3304138	247	2.3926969	280	2.4471580
215	2.3324385	248	2.3944517	281	2.4487063
216	2.3344537	249	2.3961993	282	2.4502491
217	2.3364597	250	2.3979400	283	2.4517864
218	2.3384565	251	2.3996737	284	2.4533183
219	2.3404441	252	2.4014005	285	2.4548449
220	2.3424227	253	2.4031205	286	2.4563660
221	2.3443923	254	2.4048337	287	2.4578819
222	2.3463530	255	2.4065402	288	2.4593925
223	2.3483049	256	2.4082400	289	2.4608978
224	2 3502480	257	2.4099331	290	2.4623980
225	2.3521825	258	2.4116197	291	2.4638930
226	2.3541084	259	2.4132998	292	2.4653828
227	2.3560259	260	2.4149733	293	2.4668676
228	2.3579348	261	2.4166405	294	2.4683473
229	2.3598355	262	2.4183013	295	2.4698220
230	2.3617278	263	2.4199557	296	2.4712917
231	2.3636120	264	2.4216039	297	2.4727564
232	2.3654880	265	2.4232459	298	2.4742163
233	2.3673559	266	2.4248816	299	2.4756712
234	2.3692159	267	2.4265113	300	2.4771212

N.	Logarith.	N.	Logarith.	N.	Logarith.
300					
301	2.4785665	334	2.5237465	367	2.5646661
302	2.4800069	335	2.5250448	368	2.5658478
303	2.4814426	336	2.5263393	369	2.5670264
304	2.4828736	337	2.5276299	370	2.5682017
405	2.4842998	338	2.5289167	371	2.5693739
306	2.4857214	339	2.5301997	372	2.5705429
307	2.4871384	340	2.5314789	373	2.5717088
308	2.4885507	341	2.5327544	374	2.5728716
309	2.4899585	342	2.5340261	375	2.5740313
310	2.4913617	343	2.5352941	376	2.5751878
311	2.4927604	344	2.5365584	377	2.5763413
312	2.4941546	345	2.5378191	378	2.5774918
313	2.4955443	346	2.5390761	379	2.5786392
314	2.4969296	347	2.5403295	380	2.5797836
315	2.4983105	348	2.5415792	381	2.5809250
316	2.4996871	349	2.5428254	382	2.5820634
317	2.5010593	350	2.5440680	383	2.5831988
318	2.5024271	351	2.5453071	384	2.5843312
319	2.5037907	352	2.5465427	385	2.5854607
320	2.5051500	353	2.5477747	386	2.5865873
321	2.5065050	354	2.5490033	387	2.5877110
322	2.5078559	355	2.5502283	388	2.5888317
323	2.5092025	356	2.5514500	389	2.5899496
324	2.5105450	357	2.5526682	390	2.5910646
325	2.5118834	358	2.5538830	391	2.5921768
326	2.5132176	359	2.5550944	392	2.5932861
327	2.5145477	360	2.5563025	393	2.5943925
328	2.5158738	361	2.5575072	394	2.5954962
329	2.5171959	362	2.5587086	395	2.5965971
330	2.5185139	363	2.5599066	396	2.5976952
331	2.5198280	364	2.5611014	397	2.5987905
332	2.5211381	365	2.5622929	398	2.5998831
333	2.5224442	366	2.5634811	399	2.6009729
334	2.5237465	367	2.5646661	400	2.6020600

400

N.	Logarith.
401	2.6031444
402	2.6042260
403	2.6053050
404	2.6063814
405	2.6074550
406	2.6085260
407	2.6095944
408	2.6106602
409	2.6117233
410	2.6127839
411	2.6138418
412	2.6148972
413	2.6159500
414	2.6170003
415	2.6180481
416	2.6190933
417	2.6201360
418	2.6211763
419	2.6222140
420	2.6232493
421	2.6242821
422	2.6253124
423	2.6263404
424	2.6273659
425	2.6283889
426	2.6294096
427	2.6304279
428	2.6314438
429	2.6324573
430	2.6334685
431	2.6344773
432	2.6354837
433	2.6364879
434	2.6374897

N.	Logarith.
434	2.6374897
435	2.6384893
436	2.6394865
437	2.6404814
438	2.6414741
439	2.6424645
440	2.6434527
441	2.6444386
442	2.6454223
443	2.6464037
444	2.6473830
445	2.6483600
446	2.6493349
447	2.6503075
448	2.6512780
449	2.6522463
450	2.6532125
451	2.6541765
452	2.6551384
453	2.6560982
454	2.6570558
455	2.6580114
456	2.6589648
457	2.6599162
458	2.6608655
459	2.6618127
460	2.6627578
461	2.6637009
462	2.6646420
463	2.6655810
464	2.6665180
465	2.6674529
466	2.6683859
467	2.6693169

N.	Logarith.
467	2.6693169
468	2.6702458
469	2.6711728
470	2.6720979
471	2.6730209
472	2.6739420
473	2.6748611
474	2.6757783
475	2.6766936
476	2.6776069
477	2.6785184
478	2.6794279
479	2.6803355
480	2.6812412
481	2.6821451
482	2.6830470
483	2.6839471
484	2.6848454
485	2.6857417
486	2.6866363
487	2.6875290
488	2.6884198
489	2.6893089
490	2.6901961
491	2.6910815
492	2.6919651
493	2.6928469
494	2.6937269
495	2.6946052
496	2.6954817
497	2.6963564
498	2.6972293
499	2.6981005
500	2.6989700

500

N.	Logarith.
501	2.6998377
502	2.7007037
503	2.7015680
504	2.7024305
505	2.7032914
506	2.7041503
507	2.7050080
508	2.7058637
509	2.7067178
510	2.7075702
511	2.7084209
512	2.7092700
513	2.7101174
514	2.7109631
515	2.7118072
516	2.7126497
517	2.7134905
518	2.7143298
519	2.7151674
520	2.7160033
521	2.7168377
522	2.7176705
523	2.7185017
524	2.7193313
525	2.7201593
526	2.7209857
527	2.7218106
528	2.7226339
529	2.7234557
530	2.7242759
531	2.7250945
532	2.7259116
533	2.7267272
534	2.7275413

N.	Logarith.
534	2.7275413
535	2.7283538
536	2.7291648
537	2.7299743
538	2.7307823
539	2.7315888
540	2.7323938
541	2.7331973
542	2.7339993
543	2.7347998
544	2.7355989
545	2.7363965
546	2.7371926
547	2.7379873
548	2.7387806
549	2.7395723
550	2.7403627
551	2.7411516
552	2.7419391
553	2.7427251
554	2.7435098
555	2.7442930
556	2.7450748
557	2.7458552
558	2.7466342
559	2.7474118
560	2.7481880
561	2.7489629
562	2.7497363
563	2.7505084
564	2.7512791
565	2.1520484
566	2.7528164
567	2.7535831

N.	Logarith.
567	2.7535831
568	2.7543483
569	2.7551123
570	2.7558748
571	2.7566361
572	2.7573960
573	2.7581546
574	2.7589119
575	2.7596678
576	2.7604225
577	2.7611758
578	2.7619278
579	2.7626786
580	2.7634280
581	2.7641761
582	2.7649230
583	2.7656685
584	2.7664128
585	2.7671559
586	2.7678976
587	2.7686381
588	2.7693773
589	2.7701153
590	2.7708520
591	2.7715875
592	2.7723217
593	2.7730547
594	2.7737864
595	2.7745170
596	2.7752463
597	2.7759743
598	2.7767012
599	2.7774268
600	2.7781512

600

N.	Logarith.	N.	Logarith.	N.	Logarith.
601	2.7788745	634	2.8020093	667	2.8241258
602	2.7795965	635	2.8027737	668	2.8247765
603	2.7803173	636	2.8034571	669	2.8254261
604	2.7810369	637	2.8041394	670	2.8260748
605	2.7817554	638	2.8048207	671	2.8267225
606	2.7824726	639	2.8055009	672	2.8273693
607	2.7831887	640	2.8061800	673	2.8280151
608	2.7839036	641	2.8068580	674	2.8286599
609	2.7846173	642	2.8075350	675	2.8293038
610	2.7853298	643	2.8082110	676	2.8299467
611	2.7860412	644	2.8088859	677	2.8305887
612	2.7867514	645	2.8095597	678	2.8312297
613	2.7874605	646	2.8102325	679	2.8318698
614	2.7881684	647	2.8109043	680	2.8325089
615	2.7888751	648	2.8115750	681	2.8331471
616	2.7895807	649	2.8122447	682	2.8337844
617	2.7902852	650	2.8129134	683	2.8344207
618	2.7909885	651	2.8135810	684	2.8350561
619	2.7916906	652	2.8142476	685	2.8356906
620	2.7923917	653	2.8149132	686	2.8363241
621	2.7930916	654	2.8155777	687	2.8369567
622	2.7937904	655	2.8162413	688	2.8375884
623	2.7944880	656	2.8169038	689	2.8382192
624	2.7951846	657	2.8175654	690	2.8388491
625	2.7958800	658	2.8182259	691	2.8394780
626	2.7965744	659	2.8188854	692	2.8401061
627	2.7972675	660	2.8195439	693	2.8407332
628	2.7979596	661	2.8202015	694	2.8413595
629	2.7986506	662	2.8208580	695	2.8419848
630	2.7993405	663	2.8215135	696	2.8426092
631	2.8000294	664	2.8221681	697	2.8432328
632	2.8007171	665	2.8228216	698	2.8438554
633	2.8014037	666	2.8234742	699	2.8444772
634	2.8020893	667	2.8241258	700	2.8450980

N	Logarith.
700	
701	2.8457180
702	2.8463371
703	2.8469553
704	2.8475727
705	2,8481891
706	2.8488047
707	2.8494194
708	2,8500333
709	2.8506462
710	2,8512583
711	2.8518696
712	2.8524800
713	2.8530895
714	2,8536982
715	2.8543060
716	2.8549130
717	2,8555191
718	2.8561244
719	2.8567289
720	2.8573325
721	2.8579353
722	2.8585372
723	2.8591383
724	2.8597386
725	2.8603380
726	2.8609366
727	2.8615344
728	2.8621314
729	2 8627275
730	2.8633229
731	2.8639174
732	2.8645111
733	2.8651040
734	2.8656961

N.	Logarith.
734	2.8656961
735	2.8662873
736	2.8668778
737	2.8674675
738	2.8680564
739	2.8686444
740	2.8692317
741	2.8698182
742	2.8704039
743	2.8709888
744	2.8715729
745	2.8721563
746	2.8727388
747	2.8733206
748	2.8739016
749	2.8744818
750	2.8750613
751	2,8756399
752	2,8762178
753	2.8767950
754	2.8773713
755	2.8779469
756	2.8785218
757	2.8790959
758	2.8796692
759	2.8802418
760	2.8808136
761	2.8813847
762	2.8819550
763	2.8825245
764	2.8830934
765	2.8836614
766	2.8842288
767	2.8847954

N.	Logarith.
767	2.8847954
768	2.8853612
769	2.8859263
770	2.8864907
771	2.8870544
772	2.8876173
773	2.8881795
774	2.8887410
775	2.8893017
776	2.8898617
777	2.8904210
778	2.8909796
779	2.8915375
780	2.8920946
781	2.8926510
782	2.8932067
783	2.8937618
784	2.8943161
785	2.8948696
786	2.8954225
787	2.8959747
788	2.8965262
789	2.8970770
790	2.8976271
791	2.8981765
792	2.8987252
793	2.8992732
794	2.8998205
795	2.9003671
796	2.9009131
797	2.9014583
798	2.9020029
799	2.9025468
800	2.9030900

800

N.	Logarith.
801	2.9036325
802	2.9041744
803	2.9047155
804	2.9052560
805	2.9057959
806	2.9063350
807	2.9068735
808	2.9074114
809	2.9079485
810	2.9084850
811	2.9090208
812	2.9095560
813	2.9100905
814	2.9106244
815	2.9111576
816	2.9116901
817	2.9122220
818	2.9127533
819	2.9132839
820	2.9138138
821	2.9143431
822	2.9148718
823	2.9153998
824	2.9159272
825	2.9164539
826	2.9169800
827	2.9175055
828	2.9180303
829	2.9185545
830	2.9190781
831	2.9196010
832	2.9201233
833	2.9206450
834	2.9211660

N.	Logarith.
834	2.9211660
835	2.9216865
836	2.9222063
837	2.9227254
838	2.9232440
839	2.9237620
840	2.9242793
841	2.9247960
842	2.9253121
843	2.9258276
844	2.9263424
845	2.9268567
846	2.9273704
847	2.9278834
848	2.9283958
849	2.9289077
850	2.9294189
851	2.9299296
852	2.9304396
853	2.9309490
854	2.9314579
855	2.9319661
856	2.9324738
857	2.9329808
858	2.9334873
859	2.9339932
860	2.9344984
861	2.9350031
862	2.9355073
863	2.9360108
864	2.9365137
865	2.9370161
866	2.9375179
867	2.9380191

N.	Logarith.
867	2.9380191
868	2.9385197
869	2.9390198
870	2.9395192
871	2.9400181
872	2.9405165
873	2.9410142
874	2.9415114
875	2.9420080
876	2.9425041
877	2.9429996
878	2.9434945
879	2.9439889
880	2.9444827
881	2.9449759
882	2.9454686
883	2.9459607
884	2.9464523
885	2.9469433
886	2.9474337
887	2.9479236
888	2.9484130
889	2.9489018
890	2.9493900
891	2.9498777
892	2.9503648
893	2.9508514
894	2.9513375
895	2.9518230
896	2.9523080
897	2.9527924
898	2.9532763
899	2.9537597
900	2.9542425

N.	Logarith.
900	
901	2.9547248
902	2.9552065
903	2.9556877
904	2.9561684
905	2.9566486
906	2.9571282
907	2.9576073
908	2.9580858
909	2.9585639
910	2.9590414
911	2.9595184
912	2.9599948
913	2.9604708
914	2.9609462
915	2.9614211
916	2.9618955
917	2.9623693
918	2.9628427
919	2.9633155
920	2.9637878
921	2.9642596
922	2.9647309
923	2.9652017
924	2.9656720
925	2.9661417
926	2.9666110
927	2.9670797
928	2.9675480
929	2.9680157
930	2.9684829
931	2.9689497
932	2.9694159
933	2.9698816
934	2.9703469

N.	Logarith.
934	2.9703469
935	2.9708116
936	2.9712758
937	2.9717396
938	2.9722028
939	2.9726656
940	2.9731278
941	2.9735896
942	2.9740509
943	2.9745117
944	2.9749720
945	2.9754318
946	2.9758911
947	2.9763500
948	2.9768083
949	2.9772662
950	2.9777236
951	2.9781805
952	2.9786369
953	2.9790929
954	2.9795484
955	2.9800034
956	2.9804579
957	2.9809119
958	2.9813655
959	2.9818186
960	2.9822712
961	2.9827234
962	2.9831751
963	2.9836263
964	2.9840770
965	2.9845273
966	2.9849771
967	2.9854265

N.	Logarith.
967	2.9854265
968	2.9858753
969	2.9863238
970	2.9867717
971	2.9872192
972	2.9876663
973	2.9881128
974	2.9885589
975	2.9890046
976	2.9894498
977	2.9898946
978	2.9903388
979	2.9907827
980	2.9912261
981	2.9916690
982	2.9921115
983	2.9925535
984	2.9929951
985	2.9934362
986	2.9938769
987	2.9943171
988	2.9947569
989	2.9951963
990	2.9956352
991	2.9960736
992	2.9965117
993	2.9969492
994	2.9973864
995	2.9978231
996	2.9982593
997	2.9986951
998	2.9991305
999	2.9995655
1000	3.0000000

PRÆCIPUA GEOMETRIÆ PLANÆ ELEMENTA

EX EUCLIDE SELECTA

ET

Incipientium uſui accommodata.

Tametsi in Propositionum delectu præcipua cura fuit, ne qua deesset Trigonometriæ demonstrandæ: simul tamen dedi operam, ut Opus hoc ad alia quàm plurima inserviret; ideoque adjunxi ea, quæ videbantur ad reliquam Matheſim maximè usui futura. Quoad Propositionum ordinem, eum tenui, qui ab Euclide ejusque Interpretibus observatur. Corollaria verò adjeci illa quæ videbantur incipientibus magis necessaria.

EX LIBRO PRIMO.

DEFINITIONES.

1. *Punctum* est magnitudinis initium nullam habens dimensionem.

2. *Linea* est magnitudo solam habens longitudinem.

4. *Linea Recta* est brevissima quæ inter duo puncta poni potest duci.

5. *Superficies* est magnitudo tantùm longa & lata.

7. *Superficies Plana* est minima omnium eosdem terminos habentium.

Corpus est magnitudo longa, lata, & profunda.

8. *Angulus* est duarum linearum (BE, BF) se mutuò tangentium, alterius ad alterum inclinatio, seu (ut alii malunt) alterius ab altero divaricatio: dicitur *Rectilineus*, *Curvilineus*, vel *Mixtilineus*, pro diversitate linearum quibus efficitur. Hæ lineæ (BE, BF) angulum continentes vocantur ejus *Crura*; punctum verò (B) in quo crura sibi mutuò occurrunt, est *Vertex* anguli (EBF.)



Quando angulus designatur tribus literis (EBF) media (B) denotat ipsum angulum.

14. Recta (AB) ita insistens alteri (CD) ut faciat utrinque æquales angulos (BAC, BAD) dicitur *Perpendicularis*; angulus verò à tali linea factus, est *Rectus*.



15. Angulus (FAC) minor recto (BAC) est *Acutus*; Angulus (FAD) major recto (BAD) est *obtusus*: uterque verò *Obliquus*.

18. *Circulus* est superficies plana comprehensa circuitu unius lineæ, quæ *Circumferentia* dicitur, ad quam omnes rectæ ductæ ab aliquo puncto (A quod *Centrum* vocatur) intra circulum posito, sunt æquales.

20. *Diameter* circuli est recta (BD) quæ per centrum ducta utrinque ad circumferentiam, seu peripheriam, terminatur, & circulum bifariam dividit.

Hinc intelligitur quid sit *Semicirculus*, *Semidiameter*, seu *Radius* circuli, & *Semicircumferentia*.

23. *Rectilinea Figura* est superficies plana rectis lineis undique terminata.



24. *Triangulum* sive *Trilaterum*, est superficies plana (ABC) tribus lineis rectis (AB, BC, CA) comprehensa.

FIG. TRILATERÆ.

25. *Triang. Æquilaterum* (A) est quod habet tria latera æqualia.

26. *Isosceles* (B) est quod habet duo saltem latera æqualia.

27. *Scalenum* (C) est quod habet tria latera inæqualia.

28. *Triang. Rectangulum* est cujus unus angulus (D) est rectus.

29. *Obtusangulum* est cujus unus angulus (E) est obtusus.

30. *Acutangulum* (F) quod habet angulos tres acutos.

FIG. QUADRILATERÆ.

31. *Rectangulum* est Fig. quadril. (G vel H) habens 4 angulos rect.

32. *Quadratum* (H) est Rectangulum æquilaterum.

33. *Rhombus* (I) est, qui est æquilaterus, non æquiangulus.

34. *Rhomboides* (K) est, qui opposita tantùm latera & angulos habet æqualia.

35. *Parallelogrämum.* (L) est cujus adversa latera sunt parallela.

Trapezium est quævis Fig. quadril. (M *v. g.*) præter prædictas.

36. Lineæ *Parallelæ* sunt, quæ in eodem plano existentes, quantumcumque utrinque protrahantur, semper distant æqualiter. Æqualis hæc distantia mensuratur per æqualia perpendicula (AB, CD)

38. Figuræ *Multilateræ* sive *Polygonæ*, sunt quæ pluribus quàm quatuor lateribus continentur.

AXIOMATA.

1. Quæ ſunt eidem tertio æqualia, ſunt æqualia inter ſe.
2. Si æqualibus addas vel demas æqualia, manebunt æqualia.
3. Quæ ſunt ejuſdem vel æqualium dimidia, dupla, ſubtripla, tripla, &c. ſunt inter ſe æqualia.
4. Quæ ſibi mutuò congruunt, ſunt æqualia.
5. Perpendicula (AB, CD) ex parallelis intercipiunt partes æquales (AC, BD.)

PROPOSITIO I.

Super datâ rectâ (AB) *conſtruere triangulum æquilaterum.*

Centris A & B, intervallo AB, deſcribe arcus ſe interſecantes in C, erit triangulum ABC æquilaterum; nam latera AC, BC (*ex conſtr.*) æquantur lateri AB.

PROPOSITIO IV.

Si triangula duo (X & Z) *habeant circa æquales angulos* (B & F) *latera* (BA, FL, *item* BC, FI) *ſibi mutuò æqualia; erunt reliqua omnia æqualia, viz. baſes* (AC, LI) *& reliqui ad baſim anguli* (A, L & C, I) *qui æqualibus lateribus oppoſuntur.*

Triangulo X concipiatur imponi triangulum Z. Quia anguli B & F ſunt æquales, latera LF, FI incident in latera BA, BC; ipſiſque, quia (*ex ſuppoſ.*) æqualia ſunt, perfectè congruent. Ergo puncta L & I

incident in A & C; adeoque baſis LI congruet baſi AC; ergo (*per ax.* 4) tota triangula X & Z ſunt æqualia.

Scholium.

Si baſes (AC, LI) *& anguli adjacentes* (A & C *ipſis* L & I) *fuerint æquales, tota triangula* (X & Z) *erunt æqualia.*

Nam ſi LI ponatur ſuper AC æquale, quia æquantur anguli L & A, I & C; latus FI incidet lateri BC, & latus FL lateri BA, & punctum F in B; adeoque omnia congruent, eruntque (*per ax.* 4) æqualia.

PROPOSITIO V.

In triangulo Isosceli anguli (A & C) ad basim, sunt æquales.

Concipe triangulum ABC iterum poni, sed seu converso, *cba*. In triangulis ABC, *cba*, latera AB, *cb*, item CB, *ab*, & anguli contenti B & *b* sunt (*ex suppos.*) æquales: ergo (*per 4. h*) anguli A & *c*, id est (quia c & C iidem sunt) A & C sunt æquales.

PROPOSITIO VI.

Si in triangulo anguli duo (A & C) sint æquales, latera (AB, CB) iis opposita sunt æqualia.

Convertatur triangulum ABC, ita ut fiat *cba*. In triangulis ABC, *cba*, latera AC, *ca*, & anguli adjacentes A & *c*, item C & *a* (*ex suppos.*) sunt æquales: ergo (*per schol. p. 4. h*) reliqua omnia sunt æqualia: ergo æquantur latera AB & *cb* seu CB.

PROPOSITIO VIII.

Si triangula (ABC, EFD) sint sibi mutuò æquilatera, etiam anguli æqualibus lateribus oppositi sunt æquales.

Æqualia sint latera AB & EF, AC & ED, BC & FD. Applicetur latus EF lateri æquali AB, sed ita ut circa eundem angulum DAC sint æqualia latera AC, ED; dein ducatur DC, & erunt (*per constr.*) triangula Isosceles DAC; & (nisi CD coincidat cum lateribus DF, BC ut in *Fig. 1.*) DBC: ergo si angulis ACD, ADC (*per 5. h*) æqualibus addas vel subtrahas (si opus sit) angulos BCD & BDC etiam (*per 5. h*) æquales; habebis angulos ACB, EDF æquales. Sed latera circa hos angulos viz. AC & ED, BC & FD (*ex suppos.*) sunt æqualia: ergo (*per 4. h*) reliqua sunt æqualia, & æquales sunt anguli æqualibus lateribus oppositi.



Dixi, *nisi CD coincidat cum lateribus* DF, BC, *ut in Fig. 1.* quia tunc habetur unum triangulum Isosceles DAC, cujus

anguli D & C (*per* 5. *h*) sunt æquales; unde in triangulis æquilateris ACB, EDF reliqui omnes (*per* 4. *h*) sunt æquales.

PROPOSITIO IX.

Bifariàm secare angulum datum (EAF.

Ex cruribus AE, AF accipe partes æquales AB, AC. Dein centris B & C, eodem radio, describe arcus sibi occurrentes in D: linea DA bisecabit angulum EAF. Ducantur enim BD, CD: Jam in triangulis BAD, CAD, latera AB, AC, & BD, CD sunt (*ex constr.*) æqualia, & latus AD commune: ergo (*per* 8. *h*) æquantur anguli BAD, CAD; adeoque bisectus est angulus EAF.

PROPOSITIO X.

Bisecare lineam datam (BC.)

Fiat (*per* 1. *h*) triangulum æquilaterum BAC, & (*per* 9 *h*) bisecetur angulus A per rectam AD, hæc bisecabit lineam BC. Nam in triangulis BAD, CAD, anguli BAD, CAD sunt (*ex constr.*) æquales, sicut & latera BA, CA; & latus AD commune: ergo (*per* 4. *h*) latera BD, CD sunt æqualia; adeoque bisecta est BC.



PROPOSITIO XI.

Ex puncto (O) *dato in linea recta excitare perpendiculum.*

Accipe utrinque æquales OB, OC. Dein centris B & C, eodem intervallo describe arcus se secantes in A; erit AO perpendicularis ad BC.

Ducantur BA, CA.

Patet (*ex constr.*) triangula BAO, CAO esse sibi mutuò æquilatera: ergo (*per* 8. *h*) æquales sunt anguli AOB, AOC oppositi æqualibus lateribus BA, CA: ergo (*per* 14. *def. h*) AO perpendicularis est ad BC.

PROPOSITIO XII.

Ex puncto (R) *dato extra lineam* (BC) *demittere ad eam perpendiculum.*



Centro R describatur arcus BGC secans rectam BC in B & C, & bisecetur BC in O; erit RO perpendicularis ad EF, Ducantur BR, CR.

Demonstratio est eadem quæ præcedentis.

PROPOSITIO XIII.

Recta insistens rectæ facit angulos æquales duobus rectis.



Nam si sit perpendicularis, ut BA, anguli BAD, BAC (*per 14. def. h*) sunt recti, Si obliquè insistat ut IA, angulus obtusus IAD tantùm excedit rectum BAD, quantùm acutus IAC deficit à recto BAC: ergo IAD, IAC simul æquantur duobus rectis BAD, BAC.

Corollaria.

1. *Quotcunque insistunt eidem rectæ, ad idem punctum & ad eandem partem faciunt angulos æquales duobus rectis.*

Nam sunt duo recti in plures obliquos divisi.



2. *Duæ rectæ* (BC, FE) *se intersecantes efficiunt angulos æquales quatuor rectis.*

Nam BAL, BAF, item CAL, CAF æquantur duobus rectis.

3. *Omnes anguli circa idem punctum æquantur quatuor rectis.* Patet ex dictis

PROPOSITIO XV.

Si duæ rectæ (BC, FL) *se secuerint, anguli ad* (A) *verticem oppositi sunt æquales.*

Nam (*per 13. h*) anguli BAL, BAF, item anguli BAL, LAC adæquant duos rectos: ergo sublato utrinque BAL, restant BAF, LAC æquales. Eodem modo ostendam BAL, FAC esse æquales.

PROPOSITIO XVIII. & XIX.

In omni triangulo angulus (A) *major est qui opponitur majori lateri* (OB:) *& è converso.*

XVIII. Ex latere majori OB aufer OF æquale lateri OA;

erit, si ducatur AF, angulus OFA (*per* 3. *Corol. p.* 32. *h*, quod ab hac non dependet) major angulo B, & (*per* 5. *h*) æqualis angulo OAF, adeoque minor angulo OAB : ergo angulus B est multò minor angulo OAB.

XIX. Conversa patet ; nam si majori angulo opponatur minus latus, major angulus opponetur minori lateri ; quod est contra præcedentem.

PROPOSITIO XX.

Trianguli duo quævis latera sunt reliquo majora.

Patet ex definitione lineæ rectæ.

PROPOSITIO XXII.

Ex datis tribus rectis (AB, BC, CA) *quarum duæ quævis sint reliquâ majores, triangulum constituere.*

Assumptâ quâlibet AB, centro B, intervallo datæ BC describe arcum ; & centro A, intervallo alterius datæ AC describe arcum priori occurrentem in C. Ductis AC, BC, erit ABC triangulum quæsitum. Patet *ex constr.*



Corollarium.

Eodem modo fiet triangulum æquale cuicunque dato.

PROPOSITIO XXIII.

Ad datum punctum (L) *angulum efficere æqualem dato* (A.)

Ducatur utcunque DE Secans crura anguli A, & triangulo ADE constitue (*per* 22. *h*) æquale LDE ; eritque angulus L (*per* 8. *h*) æqualis dato (A.)



Scholium.

Quia in Operationibus Mathematicis sæpe requiruntur anguli, vel pares datis, vel certum graduum numerum continentes ; pro angulorum praxi aliqua subjungam.

1. *Ad datum punctum* (L) *statuere angulum parem dato* (A.) Centro A describe inter anguli dati latera arcum DE ; &

centro L, eodem radio deſcribe DF. Ex DF auſer DE æqualem alteri DE, & per E duc rectas LD, LE. Erit ELD par dato A.

2. *Anguli dati* (A) *gradus examinare.* Inter crura anguli A, centro A, deſcribe arcum DE; quem circino exceptum applica quadranti vel ſemicirculo in gradus diviſo. Notæ margini adſcriptæ quantitatem anguli indicabunt.

3. *Angulum conſtruere continentem gradus datos.* Centro quovis L deſcribatur arcus DF; ex quo ſi major ſit, auferatur DE par arcui quadrantis continenti gradus datos, & ducantur rectæ LE, LD. Erit ELD angulus quæſitus.

Nota, arcûs DE radium debere in utroque caſu æqualem eſſe ſemidiametro alicujus circuli inſtrumento inſcripti.

Si ad manum ſit ſemicirculus excavatus, vel ex materia



pellucida, ſatis erit ejus centrum ſuper C verticem anguli collocare; nam arcus AB inter crura contentus oſtendet quantitatem anguli dati ACB, ſicut & puncta B & A, per quæ à centro ductæ CB, CA efficient angulum BCA continentem gradus quæſitos.

PROPOSITIO XXIV. & XXV.

Si duo triangula (EDG, EDF) *habeant circa angulos inæquales* (EDG, EDF) *latera* (DE, DF & DE, DG) *ſibi mutuò æqualia; erit baſis* (EG) *oppoſita majori angulo* (EDG) *majori baſi* (EF) *oppoſita minori angulo* (EDF.) *& è converſo.*

XXIV. Ducatur FG. In triangulo FDG latera DF, DG ſunt (*ex ſuppoſitione.*) æqualia: ergo (*per* 5. *h*) æquales ſunt anguli DGF, DFG: ergo angulus EGF minor eſt angulo DFG, multòque minor angulo EFG: ergo (*per* 19. *h*) latus EG majus eſt latere EF.

XXV. Si anguli EDF, EDG eſſent æquales; baſes EF, EG (*per* 4. *h*) eſſent æquales. Si EDG eſſet minor, baſi EG (*per præced.*) eſſet minor. Utrumque verò eſt contra hypotheſim, nam EG ſupponitur major quàm EF. Ergo angulus EDG eſt major quàm EDF.

PROPOSITIO XXVI.

Si duo triangula (X & Z. Vide Fig. Prop. 4.) *habeant duos angulos duobus æquales* (A *ipsi* L, & B *ipsi* F) *alterum alteri, unumque latus uni lateri æquale, vel quod existit inter æquales angulos* (*ut* AB, LF) *vel quod eorum uni opponitur* (*ut* BC, FI) *omnia reliqua erunt æqualia.*

Nam (*per* 5. *Corol. p.* 32. *h.* quod ab hac non dependet) tertius angulus C æquatur tertio L. Ergo (*per Schol. p.* 4. *h.*) reliqua omnia sunt æqualia.

PROPOSITIO XXVII.

Si rectas (AB, CF) *parallelas facet recta* (GO)

1.° *Æquales sunt anguli alterni* (ALO, FOL, *item* BLO, COL.)

Duc perpendicula OR, LQ. In triangulis ROL, QLO, latus LO est commune; latera RO, LQ [*per* 36. *def. h.*] & latera RL, OQ [*per ax.* 5] sunt æqualia: ergo [*per* 8. *h.*] æquantur anguli alterni RLO, QOL; sicut & anguli ROL, QLO; quibus si addantur COR, QLB recti, adeoque æquales, æquales erunt etiam anguli alterni COL, BLO.

2.° *Externus* [GLB] *æquatur interno ad eandem partem* [LOQ.]

Nam [*per* 15. *h.*] GLB æquatur angulo RLO, id est [*per* 1. *partem*] angulo LOQ.

3.° *Interni ad eandem partem* [BLO, FOL, *item* RLO, COL] *æquantur duobus rectis.*

Nam [*per* 13. *h.*] BLO cum RLO, id est [*per* 1. *partem*] cum FOL, adæquat duos rectos.

PROPOSITIO XXVIII. & XXIX.

Si rectas [RB, CE *secans rectas* [GO] *facit aut angulos alternos* [RLO, EOL] *æquales; aut externum* [GLB] *æqualem interno ad eandem partem* [LOE] *aut duos internos ad eandem partem* [BLO, EOL] *æquales duobus rectis; rectæ illæ* [RB, CE] *sunt parallelæ.*



Si neges; fit XLZ parallela ad CE: ergo [*per* 27. *b*] XLZ cum GO, CE facit angulos omnes, quales descripsimus; id est [*ex suppos.*] eosdem quos cum iisdem GO, CE facit RB. Quod est absurdum: ergo RB est parallela ad CE.

PROPOSITIO XXX.

Si duæ rectæ [AB, CF] *sint parallelæ eidem* [DN,] *sunt inter se parallelæ.*



Nam si ducatur recta GO, erit [*per* 27. *b*] externus GLB æqualis interno LDN, & LDN [*per eandem*] interno DOF: ergo externus GLB [*per ax.* 1.] æquatur interno DOF seu LOF: ergo [*per* 29. *b*] parallelæ sunt AB, CF.

PROPOSITIO XXXI.

Per punctum datum ducere parallelam ad rectam datam.

Vide 2. *Corol. p.* 29. *l.* 3. quod ab hac non dependet.

PROPOSITIO XXXII.

In omni triangulo rectilineo angulus quilibet externus (FBC) *æquatur internis oppositis* (A & C) *simul sumptis; & omnes tres anguli interni* (A, B, C) *simul conficiunt duos rectos.*

1. *Pars.* Fiat BL parallela ad AC. Angulus externus FBL (*per* 27. *b*) æquatur interno A, & alterni LBC, BCA [*per eandem*] sunt æquales. Sed FBL, LBC sunt angulus externus FBC: ergo FBC æquatur internis oppositis A & C.

2. *Pars.* Angulus ABC cum FBC (*per* 13. *b*) æquatur duobus rectis. Sed FBC (*per* 1. *partem*) æquatur angulis A & C: ergo ABC cum A & C facit duos rectos.

Corollaria.



1. *Si in triangulo quovis* (ABC) *sit aliquis angulus* [C] *rectus, reliqui* (A & B) *sunt acuti, & simul æquales uni recto.*

Nam aliter A & B cum C non conficerent duos rectos.

2. *Si angulus aliquis sit obtusus, reliqui duo sunt acuti.*

Nam aliter omnes simul excederent duos rectos. 3. *Am-*

3. *Angulus externus major est quolibet internorum oppositorum.*

Nam æquatur utrique simul.

4. *Noto uno angulo, cognoscitur Summa reliquorum: & notâ duorum Summâ, cognoscitur tertius.*

Scitur enim, quantum notis desit ad duos rectos.

5. *Cùm in uno triangulo duo anguli aut simul, aut singuli, æquales sunt duobus aut simul, aut singulis in alterô triangulo; etiam tertius tertio æqualis erit.*

Nam angulorum vel seorsim, vel simul æqualium, æqualis est differentia à duobus rectis.

6. *Perpendicularis* (AD) *est brevissima omnium, quæ ex aliquo puncto* (A) *ad rectam quamlibet* (BC) *duci possunt.*

Nam quomodocunque ducatur AD, erit angulus D rectus, adeoque B acutus: ergo (*per* 19. *h*) latus AB excedit latus AD.

7. *Si ab uno puncto* (A) *in rectam* (EC) *cadant duæ rectæ, altera* (AB) *obliquè, altera* (AD) *perpendiculariter; hæc* (AD) *cadit versùs partes anguli acuti* (ABC.)

Nam si caderet versùs obtusum ABE, in E *v. g.* essent in triangulo AEB, angulus E (*per* 14. *def. h*) rectus, & ABE (*ex suppos.*) obtusus, quod repugnat 1. *Corol.*

PROPOSITIO. XXXIII.

Si æquales parallelas (AB, CF) *jungant rectæ* (AC, BF) *erunt hæ æquales & parallelæ.*

Ducatur AF. In triangulis BAF, CAF, æquales sunt (*per* 27. *h*) anguli alterni BAF, CFA; sicut & (*ex suppos.*) latera BA, CF, & latus AF est commune: ergo (*per* 4. *h*) æqualia sunt latera AC, BF; & anguli CAF, BFA: ergo (*per* 28. *h*) latera AC, BF sunt etiam parallela.



PROPOSITIO XXXIV.

Parallelogrammi oppositi anguli & latera sunt æqualia; ipsumque à diametro bisecatur.

1.° Ductâ diametro AF, æquales sunt (*per* 27. *h*) anguli

alterni BFA, CAF, item BAF, CFA: ergo totus BAC æqualis toti BFC. Similiter oſtendam angulos B & C eſſe æquales.

2.o Quia ad baſim communem AF æquales ſunt anguli BAF, CFA, & BFA, CAF; tota triangula ABF, ACF (*per ſchol. p. 4. h*) ſunt æqualia; adeoque parallelogrammum biſecat diametrer AF; & latera BF, AC, & BA, FC, æqualibus angulis oppoſita ſunt æqualia.

PROPOSITIO XXXV. & XXXVI.

Parallelogramma ſuper eadem vel æquali baſi & inter eaſdem parallelas poſita, ſunt æqualia.

XXXV. 1.o Sint parallelogramma (ACDB, ALQB habentia eandem baſim AB. In triangulis ALC, BQD, latera AC, DB, & AL, BQ (*per 34. h*) ſunt æqualia: & (*per 27. h*) anguli comprehenſi CAL, DBQ æquantur angulo externo DOL, adeoque (*per ax. 1.*) ſunt inter ſe æquales: ergo (*per 4. h*) tota triangula ALC, BQD ſunt æqualia: ergo ſi utrique auferas triangulum commune DOL, & utrique addas triangulum AOB, erunt (*per ax. 2.*) æqualia parallelogramma ABDC, ALQB.



XXXVI. Si habeant baſes diſtinctas ſed æquales AB, GH; ducantur GC, HD. Jam quia AB, GH ſunt (*ex ſuppoſ.*) & AB, CD (*per 34. h*) æquales; GH, CD ſunt (*per ax. 1.*) æquales. Sed (*ex ſuppoſ.*) ſunt etiam parallelæ: ergo (*per 33. h*) GC, HD ſunt æquales & parallelæ; adeoque GCDH (*per 35. def. h*) eſt parallelogrammum; cui (*per 35. h.*) æquantur parallelogramma ACDB, GEFH: ergo hæc ſunt (*per ax. 1.*) inter ſe æqualia.



Corollarium.

Efficere rectangulum æquale parallelogrammo dato [ACDB.]

Acceptâ baſi æquali GH, erige perpendicula GE, HF occurrentia lateri CD producto. Erunt [*per 36. h*] ACDB, GEFH æqualia.

PROPOSITIO XXXVII. & XXXVIII.

Triangula (ACB, AFB) *ſuper eadem baſi* (AB) *vel æquali & inter eaſdem parallelas conſtituta ſunt æqualia.*

XXXVII. Ducantur BL, BI parallelæ lateribus AC, AF. Parallelogramma ACLB, AFIB (*per* 35. *h*) ſunt æqualia. Sed eorum dimidia ſunt (*per.* 34. *h*) triangula ACB; AFB: ergo (*per ax.* 3.) hæc ſunt æqualia.



XXXVIII. Si triangula habeant æquales tantùm baſes; eodem modo oſtendentur eſſe dimidia parallelogrammorum iiſdem baſibus æqualibus inſiſtentium. Sed hæc (*per* 36. *h*) ſunt æqualia: ergo (*per ax.* 3.) ipſa triangula ſunt æqualia.

PROPOSITIO XLI.

Si triangulum (AFB) *ſit in iiſdem parallelis & eâdem vel æquali baſi* (AB) *cum parallelogrammo* (LA); *erit ipſius dimidium.*

Ducatur CB triangulum AFB (*per* 37. *h*) æquatur triangulo ACB; id eſt (*per* 34. *h*) dimidio parallelogrammi AL.

PROPOSITIO XLII.

Conſtruere parallelogrammum (ABEF) *æquale triangulo dato* [ABC.]

Trianguli dati baſim BC biſeca in E; dein per anguli oppoſiti vertiecm A duc AD parallelam baſi BC, & per E duc EF parallelam alterutri lateri AB. Fritque parallelogrammum ABEF æquale triangulo dato ABC.



Ducatur AE; eruntque triangula ABE, AEC (*per* 38. *h*) æqualia: ergo ABE eſt dimidium trianguli ABC. Sed (*per* 41. *h*) ABE eſt dimidium parallelogrammi ABEF: ergo ABC, ABEF (*per ax.* 3.) ſunt æqualia.

PROPOSITIO XLVII.

In omni triangulo rectangulo quadratum [CAFR] *lateris* (AC) *oppoſiti angulo recto* [B] *æquatur reliquorum laterum* (AB, CB) *quadratis* [AILB, BOXC] *ſimul ſumptis.*

Ducantur IC & EB cum BE parallelâ ad AF. Jam ſi angulis IAB, FAC (*per* 32. *def. h.*) rectis, adeoque æqualibus addatur angulus BAC, erunt (*per ax.* 2.) anguli IAC, FAB æquales. Sed etiam latera IA, BA, & CA, FA, hos angulos continentia, ſunt (*per* 32. *def. h.*) æqualia: ergo (*per* 4. *h*) triangula IAC, FAB ſunt æqualia. Sed (*per* 41. *h*) hæc triangula ſunt dimidia rectangulorum BAIL, ZAFE: ergo [*per ax.* 3.] rectangula BAIL, ZAFE ſunt æqualia. Eodem modo oſtendam rectangula BCXO, ZERC eſſe æqualia: ergo rectangula ZAFE, ZERC, id eſt, quadratum AC æquatur rectangulis BAIL, BCXO, id eſt, quadratis AB, CB.



Corollaria.

1. *Datis pluribus quadratis, unum omnibus æquale conſtruere.*

Sint quadratorum latera AB, CD, EF. Fiat angulus rectus X habens latera infinita SX, XZ. Lateri XS applica lineam AB ab X ad B; & lineam CD lateri XZ ab X ad D: erit quadratum lateris DB æquale quadratis XB, XD, id eſt AB, CD. Rurſus EF applica lateri XZ ab X ad F; & DB lateri XS ab X ad C, erit quadratum FC æquale quadratis FX & XC, id eſt quadratis AB, CD, EF datis.



2. *Datis duobus quadratis* (EF, CD) *eorum differentiam invenire.*

Quadrati minoris latus CD applica lineæ XZ ab X ad D; & quadrati majoris latus EF ex puncto D extende ad lineam SX, & pertingat à D ad B *v.g.* erit quadratum XB differentia quadratorum XD, DB, ſeu CD, EF.

3. *Notis duobus quibuſcunque lateribus trianguli rectanguli, tertium invenire.*

1.° Si cognoscatur hypotenusa, seu latus EF oppositum angulo recto D, cum alio aliquo latere FD; hujus lateris FD quadratum subtractum ex quadrato hypotenusæ EF, relinquet quadratum lateris DE; cujus si radicem extraxeris, notum erit latus ED.



2.° Si dentur duo latera ED, FD comprehendentia angulum rectum D; eorum quadrata in summam collecta dabunt quadratum hypotenusæ EF.

4. *Si duo triangula rectangula* (ABC, FKI) *habeant hypotenusas* (AB, FK) *& latera quævis* (BC, KI) *æqualia, tertium* (AC) *æquatur tertio* (FI.)

Nam si quadratis æqualibus AB, FK, subtrahantur æqualia quadrata BC, KI; relinquentur quadrata, adeoque & latera æqualia AC, FI.

5. *Si in triangulis rectangulis* (ABC, FDE) *sint circa angulos rectos* (B & D) *latus unum* (AB) *æquale uni* (FD) *& aliud* (BC) *minus alio* (DE;) *erit unius hypotenusa* (AC) *minor alia* (EF.)

Nam quia quadrata FD, DE simul excedunt quadrata AB, CB; quadratum FE excedit quadratum AC, adeoque & recta FE excedit rectam AC.



EX LIBRO TERTIO.

DEFINITIONES.

2. Recta (AB) circulum tangit quæ illi ita occurrit in (B) ut producta illum non secet.

Subtensa arcûs (EL) est recta connectens ejus extremas (E & L.)

5. Segmenta circuli sunt partes, in quas eum dividit secans (EL.)

6. Angulus in segmento est (EFL) qui continetur sub rectis lineis (EF, LF) quæ ad (F) unum circumferentiæ punctum ex segmenti terminis (E, L) ducuntur.

PROPOSITIO I.

Circuli dati (FAD) *centrum invenire.*

Subtensam FD utcunque ductam bisecа in G, & per G duc perpendicularem AH, quam bisecа in C. Erit C centrum.



Si neges; sit centrum O extra rectam AH (nam nequit esse in AH, cùm ubilibet extra C dividatur inæqualiter) & ducantur OF, OG, OD. In triangulis OGF, OGD latera FG, DG (*ex constr.*) & OF, OD (*per* 18. *def. l.* 1.) sunt æqualia; & OG commune: ergo (*per* 8. *l.* 1.) anguli OGF, OGD sunt æquales, adeoque (*per* 14. *def. l.* 1.) recti; quod absurdum est, cùm AGF, AGD sint (*ex constr.*) recti.

PROPOSITIO III.

Si recta (AH) *per centrum ducta aliam* (FD) *non per centrum ductam secet bifariam, secat perpendiculariter: & è converso.*

1. *Pars.* Ducantur radii CF, CD; qui cùm æquales sint, sicut & [*ex suppos.*] latera FG, DG, & latus CG commune; triangula CFG, CDG sunt sibi mutuò æquilatera: ergo [*per* 8. *l.* 1.] anguli CGF, CGD sunt æquales: ergo [*per* 14. *def. l.* 1.] CG est perpendicularis ad FD.

2. *Pars.* In triangulis CGF, CGD, anguli ad G sunt [*ex suppos.*] recti; hypotenusæ CF, CD [*per* 18 *def. l.* 1.] æquales; & latus CG commune: ergo [*per* 4. *Corol. p.* 47. *l.* 1.] latera FG, DG sunt æqualia.

Corollaria.

1. *Datum arcum* (FHD) *bisecare.*

Per subtensam FD bisectam in G, duc perpendicularem GH; hæc bisecabit arcum datum in H.

Nam HG producta versùs A transibit (ut ostensum est *in* 1. *h*) per centrum C, ex quo si ducantur radii CF, CD; ostendetur (*ut in* 3. *h*) angulos FCG, GCD, adeoque & [*per* 28. *h.* quæ ab hac non dependet] arcus FH, HD esse æquales.

2. *Perficere arcum datum* [ABC.]

Rectas AB, BC utcunque subtensas bisecа in L & I. Per L

& I duc perpendiculares LE, IF, ſibi occurrentes in P. Erit P centrum circuli

Nam (*ex dictis*) centrum eſt tam in LE, quàm in IF; adeoque in communi puncto P.

3. *Deſcribere circulum per tria puncta data* (A, B, C) *non in directum poſita.*

Ducantur rectæ AB, BC; quibus biſectis in L & I, excitentur perpendiculares LE, IF concurrentes in P. Circulus ductus centro P, radio PC, tranſibit per puncta data.

Nam, ductis PA, PB, PC, erunt in triangulis PIB, PIC (*ex conſtr.*) latera BI, CI æqualia, PI commune, & anguli PIB, PIC recti, adeoque æquales: ergo (*per* 4. *l.* 1.) æquantur latera PB, PC; & (quod eodem modo oſtenditur) PB, PA. Ergo circulus deſcriptus per C, tranſit etiam per B & A.

PROPOSITIO V. & VI.

Circuli ſe mutuò ſecantes vel tangentes non habent idem centrum.

Patet, quòd ſi ſint concentrici, circulus cujus radius eſt major, totus cadet extra alium; nam diſtantia peripheriæ à centro ubique æquatur radio.

PROPOSITIO VII.

Si in circulo ex puncto (O) *quod non eſt centrum, plures rectæ* [OB, OL, OQ, OE] *in circumferentiam cadant;*

1.° *Maxima erit* (OB) *per* (C) *centrum tranſiens.*

Nam ductâ CL; patet [*ex* 20. *l.* 1.] quòd OC, CL, id eſt [quia æquales ſunt CB, CL] quòd OB major ſit quàm OL.

2.° *Reliqua diametri pars* [OE] *eſt minima.*

Nam ductâ CQ, patet quòd CO, OQ ſimul excedant CQ, id eſt CE: ergo ſublato utrinque CO, latus OQ excedit OE.



3.° *Aliarum major eſt, quæ maxima* (OB) *propior.*

Nam in triangulis COQ, CLO, latera LC, CO æquantur lateribus QC, CO: angulus verò LCO major eſt quàm QCO: ergo (*per* 24. *l.* 1.) baſis OL excedit baſim OQ.

4.° *Ex O quod non est centrum, non plures quàm duæ ad circumferentiam duci possunt æquales.*

Patet; nam si ducerentur tres æquales OL, OF, OQ, essent ad eandem partem duæ æquales OL, OQ; quod repugnat 3. *parti.*

PROPOSITIO IX.

Si ab aliquo intra circulum puncto plures quàm duæ ad ambitum duci possunt æquales, illud punctum est centrum.

Patet *ex* 4. *parte præcedentis.*

PROPOSITIO X.

Circuli in duobus tantùm punctis se mutuò secant.

Si se mutuò secuerint in tribus; rectæ ex centro utriusvis circuli ductæ ad illa tria puncta, erunt (*per* 18. *def. l.* 1.) æquales: ergo (*per* 9. *h*) centrum illud est utrique circulo commune: ergo circuli concentrici se mutuò secant; quod est contra quintam *h*.

PROPOSITIO XI. & XII.

Si duo circuli se quomodocunque tangant, recta eorum centra connectens per contactum transit.

XI. 1.° Se tangant interiùs in B. Si AB ducta ex A centro circuli BL ad contactum B non transeat per centrum circuli BO, erit centrum illud alicubi extra lineam AB, *v. g.* in C. Ducantur per C rectæ AL, BC. Quia C est centrum, CB, CO sunt æquales; & additâ utrique AC, erunt AC, CB æquales AO: sed AC, CB sunt majores (*per* 20. *l.* 1.) quàm AB, hoc est (*per* 18. *def. l.* 1.) quàm AL: ergo AO major est quàm AL; quod est absurdum.



XII. 2.° Se tangant exteriùs in S, & si fieri potest, ita ponantur centra in E & D, ut recta ED non transeat per contactum S. Quia E & D sunt centra, radii ES, ER, item DQ, DS sunt æquales: ergo tota ED major est quàm ES & DS, quod repugnat vigesimæ *l. primi.*

PRO-

PROPOSITIO XIII.

Circuli se mutuò & lineam rectam punctualiter tangunt.

1.° Si fieri potest, tangant se interiùs in duobus punctis B & C. Recta AE ducta per centra A & E (*per* 11. *h*) transit per contactum, putà per B: ducantur etiam AC, EC. Quia E est centrum, EB, EC sunt æquales: ergo additâ utrique AE, rectæ AE, EC æquales sunt radio AB, seu AC, quod est contra vigesimam *l.* 1.



2.° Tangant se exteriùs in X & O. Erunt radii AX, DX, seu (*per* 12. *h*) recta AD, æquales radiis AO, DO, quod est contra vigesimam *l.* 1.

3.° Recta FR tangat circulum in F & R; erunt radii DF, DR æquales: ergo (*per* 5. *l.* 1.) anguli DFR, DRF sunt æquales; adeoque acuti: ergo DI ducta perpendiculariter à centro D ad rectam FR (*per* 6. & 7. *Corol. p.* 32. *l.* 1.) cadet inter F & R; eritque minor radio DR: ergo punctum I est intra circulum: ergo FR secat circulum.

PROPOSITIO XVI.

Recta (AB) *quæ perpendicularis est ad diametri extremitatem* (A), *tota cadit extra circulum.*

Ad rectæ AB quodvis punctum B ducatur à centro recta CB. Quia angulus CAB ponitur rectus, CBA [*per* 1. *Corol. p.* 32. *l.* 1.] est acutus: ergo (*per* 19. *l.* 1.) CB major quàm CA: ergo punctum B, & (ob eandem rationem) omnia puncta lineæ AB, cadunt extra circulum.

PROPOSITIO XVII.

Ex puncto dato rectam ducere, quæ tangat circulum datum. Vide *Corol. p.* 31. *h.*

PROPOSITIO XVIII.

Recta [CA] *quæ ducitur ex centro ad contactum* [A] *est tangenti* (AB) *perpendicularis.*

Si neges; sit CB perpendicularis; erit angulus B rectus, adeoque [*per* 1. *Corol. p.* 32. *l.* 1.] A acutus: ergo (*per* 19. *l.* 1.) CB minor est quàm CA, id est (*per* 18. *def. l.* 1.) quàm CD, quod est absurdum.

PROPOSITIO XX.

Angulus (ACD) *ad centrum dimidius est anguli* (AFD) *ad peripheriam insistentibus in arcu* (AD.)

1.o Coincidant AC, AF, erit (*per* 32. *l.* 1.) angulus ACD æqualis angulis D & F; id est, quia CD, CF, adeoque (*per* 5. *l.* 1.) anguli D & F sunt æquales; duplus anguli F.

2.o Si AG, DC cadant inter AF, DF, ducatur diameter FE; & erit (*ut prius*) ECA duplus anguli EFA, & ECD duplus anguli EFD: ergo totus ACD est duplus totius AFD.

3.o Si unum latus AF secet aliud DC, ducatur diameter FE; & erit (*ut prius*) ECD duplus anguli EFD, & ECA duplus anguli EFA: ergo sublatis ECA, EFA, restans ACD duplus anguli AFD.

PROPOSITIO XXI.

Anguli (ADB) *ad peripheriam, qui in circulo insistunt eidem arcui, vel sunt in eodem segmento, sunt æquales.*

1.o Si segmentum ADB sit majus semicirculo, angulus ad centrum ACB (*per* 20. *b*) est duplus singulorum ADB: ergo (*per ax.* 3.) anguli ADB sunt inter se æquales.

2.o Si segmentum ADB minus sit semicirculo, vel æquale; in triangulis DAT, DBT, anguli ad T (*per* 15. *l.* 1.) & anguli A & B (*per* 1. *partem b*) sunt æquales: ergo [*per* 5. *Corol. p.* 32. *l.* 1.] angulus tertius D æquatur tertio D.

PROPOSITIO XXIII.

Quadrilateri (ABCD) circulo inscripti quinis duo anguli oppositi (A & C, B & D) simul faciunt duos rectos.

Ducantur AC, BD. Angulus ABC cum BCA, & BAC (*per* 32. *l.* 1.) facit duos rectos: sed (*per* 21. *h*) anguli BCA, BDA, & BAC, BDC sunt æquales: ergo ABC cum BDA, BDC, id est cum ADC facit duos rectos.

PROPOSITIO XXV.

Datum arcum perficere.

Vide 2. *Cheol. p.* 3. *h.*

PROPOSITIO XXVI. & XXVII.

In æqualibus circulis recta æquales (CE, FI) subtendunt arcus æquales; & si arcus sint æquales, subtensæ sunt æquales.

XXVI. Ducantur radii AC, AE, BF, BI; & fient triangula ACE, BFI sibi mutuò æquilatera, adeoque (*per* 8. *l.* 1.) anguli A & B æquales: ergo cruta BF, BI impositæ cruribus AC, AE, ipsis congruent; fient & arcus IF arcui CE ob circulorum æqualitatem.



XXVII. Quia arcus CE, FI ponuntur æquales, sibi mutuò impositi congruent, & puncta F, I cadent in puncta C, E: ergo subtensæ sibi mutuò congruent; adeoque [*per ax.* 4.] erunt æquales.

Corollarium.

Inter arcus (CE, IO) semicirculo minores, ille (CE) est major, cujus major est subtensa.

Nam si ducantur radii AC, AE, BI, BO; erunt (*per* 18. *def. l.* 1.) in triangulis CAE, IBO, latera AC, BI, & AE, BO æqualia, & basis CE (*ex suppos.*) major basi IO: ergo (*per* 25. *l.* 1.) angulus CAE major est angulo IBO: ergo si latus BI impositum lateri AE, latus BO cadet inter C & E, & arcus IO non pertinget ad C ad E, adeoque arcus IO minor est arcu CE.

PROPOSITIO XXVIII. & XXIX.

In circulis æqualibus si anguli, sive ad centra, sive ad ambitum sint æquales; arcus, quibus insistunt, sunt æquales: & è converso.

XXVIII. 1. *Pars.* Quia in triangulis ACE, BFI, latera AC, BF, & AE, BI, & anguli contenti A & B sunt (*ex suppos.*) æquales; æquantur (*per* 4. *l.* 1.) latera CE, FI; adeoque (*per* 27. *h*) etiam arcus CE, FI.

2. *Pars.* Anguli CAE, FBI sunt (*per* 20. *h*) dupli angulorum CSE, FOI: ergo (*per ax.* 3.) si anguli CSE, FOI sint æquales, æquantur anguli CAE, FBI; adeoque (*per* 1. *partem*) etiam arcus CE, FI.

XXIX. Quia arcus CE, FI ponuntur æquales, æquantur (*per* 27. *h*) subtensæ CE, FI; adeoque triangula ACE, BFI sunt sibi mutuò æquilatera; ergo (*per* 8. *l.* 1.) æquales sunt anguli A & B; quorum dimidia cùm sint (*per* 20. *h*) anguli S & O, etiam ipsi (*per ax.* 3.) sunt æquales.

Corollaria.

1. Si rectæ AB, CD intercipiant arcus æquales AC, BD; sunt parallelæ. Nam ductâ AD, anguli alterni BAD, CDA [*per* 29. *h*] sunt æquales: ergo [*per* 28. *l.* 1.] AB, CD sunt parallelæ.



2. Si per datum punctum D oporteat parallelam ducere ad rectam datam AB; quovis centro ducatur circulus transiens per D, & secans utcunque datam AB in B & A, arcui BD accipe æqualem AC, recta CD erit parallela datæ AB.

PROPOSITIO XXX.

Datum arcum bisecare.

Vide 1. *Corol. p.* 3. *h.*

PROPOSITIO XXXI.

Angulus (BAD) in semicirculo est rectus; in segmento majore est minor recto; in minore est major recto.

1. *Pars.* Ducantur diametri AE, BD; eritque (*per* 30. *h*)



angulus BCE duplus anguli BAE, & angulus ECD duplus anguli EAD. Sed BCE, ECD simul [*per* 13. *l.* 1.] æquantur duobus rectis: ergo BAE, EAD simul, id est BAD æquatur uni recto.

2. & 3. *Pars.* Patet quòd, quomodocunque ducantur IA, & FA, erunt in segmento majore angulus IAD minor, & in segmento minore, angulus FAD major recto BAD.

Corollaria.

1. *Quadratum exhibere æquale cuicunque Figuræ rectilineæ datæ.*

1.° Proponatur rectangulum BCDF. Latus minus FB productum in I, donec æquetur majori BC, bisecta in A; & centro A per I & F describe semicirculum, cui in E occurrat CB productum. Demum duc rectas IE, EF; eritque angulus IEF rectus, & quadratum EF æquale rectangulo BCDF. Demonstratur ut Prop. 47. *l.* 1.



2.° Si detur parallelogrammum obliquangulum fiat (*per Corol. p.* 36. *l.* 1.) rectangulum ei æquale, & (*per* 1. *partem*) quadratum æquale huic rectangulo.

3.° Si detur triangulum, fiat (*per* 42. *l.* 1.) ei æquale parallelogrammum, & (*per* 1. & 2. *partem*) huic æquale quadratum.

4.° Si proponatur alia quævis Figura, resolvatur in triangula; quibus (*per* 3. *partem*) fiant totidem quadrata æqualia; & his omnibus (*per* 1. *Corol. p.* 47. *l.* 1.) unum quadratum æquale.

2. *Ex dato puncto* (A) *rectam ducere, quæ tangat circulum datum.*

Ab A ad circuli dati centrum C ducatur recta AC; quâ bisectâ in B, centro B, radio BA, describatur semicirculus occurrens circulo dato in D. Recta AD tanget circulum datum.



Nam, ductâ CD, angulus ADC in semicirculo [*per* 31. *h*] est rectus: ergo [*per* 17. *h*] AD tangit circulum.

3. *Ad lineæ datæ extremum punctum* [B] *ducere perpendiculum* (AB.)

Accepto utcunque centro F extra datam BC, radio FB describatur circulus ABC secans datam alicubi in C; ductâque diametro CA, jungantur A & B. Erit AB perpendicularis ad BC in B; nam (*per* 31. *h*) angulus ABC est rectus.

PROPOSITIO XXXII.

Si recta (CF) *circulum tangat, & alia* (AB, *vel* AL, *vel* AO) *ex* (A) *contactu ductâ eundem secet; erit angulus à tangente & secante factus, par angulo qui sit in segmento alterno: id est, æquales erunt anguli* FAB, ALB, & CAL, ABL, & FAL, AOL.



1.° Si secans AB transeat per centrum, recti sunt anguli, FAB (*per* 18. *h*) & ALB (*per* 31. *h*) adeoque æquales.

2.° Si secans AL per centrum non transeat; ducatur per centrum recta AB, & jungantur L & B. Quia angulus ALB (*per* 31. *h*) est rectus, anguli LBA, LAB (*per* 1. *Corol. p.* 32. *l.* 1.) simul efficiunt unum rectum. Sed (*per* 18. *h*) CAL, LAB simul, seu CAB æquatur uni recto: ergo ablato communi LAB, restat CAL æqualis angulo LBA in segmento alterno.

3.° Quadrilateri AOLB anguli oppositi O & B (*per* 22. *h*) simul adæquant duos rectos. Sed LAC, LAF (*per* 13. *l.* 1.) simul constituunt duos rectos: ergo subductis LAC, LBA (*per* 2. *partem*) æqualibus, restat LAF æqualis angulo LOA in segmento alterno.

PROPOSITIO XXXV.

Si duæ rectæ se in circulo secuerint, rectangulum sub segmentis unius, æquale est rectangulo sub segmentis alterius.

Vide *Corol. p.* 16. *l.* 6.

PROPOSITIO XXXVI.

Si ex puncto extra circulum una recta tangat, alia secet circulum; erit quadratum tangentis æquale rectangulo sub tota secante & parte inter punctum & circulum interjectâ.

Vide 1. *Corol. p.* 17. *l.* 6. ubi etiam duo hujus Propositionis Corollaria demonstrantur.

EX LIBRO QUINTO.

Quia Libri hujus Theoremata, non solùm lineis, sed omni omninò quantitati conveniunt, ad terminos exprimendos Alphabeti literas adhibemus, quæ Propositionum universalitatem melius indicant. Brevitatis etiam & claritatis causâ utimur notis quibusdam, apud Geometras receptissimis; quas ne Tyronem morentur, breviter explico.

1.° Proportio sic exprimitur A : B :: C : D. Lege A est ad B, ut C ad D.

2.° = Significat æqualitatem. Ut A = , id est quantitas A æqualis est quantitati B.

3.° + Est signum Additionis. Sic A + B significat A plus B, seu A cum B.

4.° − Denotat subtractionem. Sic A − B significat A minùs B, seu A mulctatam quantitatem B.

Propositiones aliquæ hujus Libri sunt per se ita manifestæ, ut probatione non indigeant; quam proinde omisimus, ne (quod interdum contingit) res per se notæ demonstrando fierent obscuræ.

DEFINITIONES.

3. *Ratio* est duarum ejusdem generis magnitudinum mutua secundùm quantitatem habitudo. Quantitas quæ comparatur, dicitur *Antecedens*: illa, cui comparatur *Consequens*.

5 Rationes sunt *similes*, *Æquales*, *Eadem*, quarum Antecedentia eandem habent magnitudinem respectu suorum Consequentium; ut si A sit semissis vel duplum B, C semissis vel duplum D.

Proportio est rationum similitudo, æqualitas, vel identitas.

8. Datur *Proportio continua*, quando terminus qui est Con-

sequens respectu unius Antecedentis, est Antecedens respectu alterius Consequentis; seu quando medii termini bis sumuntur; ut A: B :: B: C. Datur *Proportio discreta*, cùm nullus terminus bis accipitur; ut A: B :: C: D.

10. Si dentur plures termini (A, B, C, D &c.) continuè proportionales; Primus (A) habet ad Tertium (C) rationem *Duplicatam*, & ad Quartum (D) rationem *Triplicatam* ejus, quam idem Primus (A) habet ad Secundum (B.)

Sit *ex. gr.* 2: 4:: 4: 8; & 4: 8:: 8: 16. erit ratio primi 2 ad tertium 8 duplicata rationis primi 2 ad secundum 4. & ratio primi 2 ad quartum 16 triplicata rationis primi 2 ad secundum 4. Id est, quia secundus terminus 4 est duplum primi 2; tertius 8 erit duplum secundi 4, adeoque dupliciter duplum primi 2: & quartus 16, quia est duplum tertii 8, erit quadrupliciter duplum primi 2. Et sic deinceps.

Similiter sit 1: 3:: 3: 9, & 3: 9:: 9: 27. Quia secundus 3 est triplum primi 1, tertius 9 est triplum secundi 3; adeoque tripliciter triplum primi 1: & quartus 27, quia triplum est tertii 9, est nonies triplum primi 1.

11. Termini sunt *Homologi*, qui ad sua Antecedentia vel Consequentia eandem habent rationem.

PROPOSITIO VII.

Si dua quantitates (A, B) *fuerint æquales, eandem habebunt rationem ad tertiam quampiam* (Z) *& è converso.*

Hoc est, erit A: Z:: B: Z. & è converso Z: A:: Z: B.

PROPOSITIO VIII.

Si dua [A & B] *fuerint inæquales; major* (A) *ad tertiam* [Z] *habebit majorem rationem, quàm minor* (B) *ad eandem* (Z).

Et è converso tertia quævis (Z) *minorem habet rationem ad quantitatem majorem* (A) *quàm ad minorem* (B.)

PROPOSITIO IX.

Si sit A: Z:: B: Z, *vel* Z: A:: Z: B; A & B *sunt æquales.*

PROPOSITIO X.

Si C *ad* Z *majorem rationem habet quàm* F *ad* Z, *erit* C *major*

major quàm F; *& si* Z *ad* F *majorem rationem habet quàm* Z *ad* C, *erit* F *minor quàm* C.

PROPOSITIO XI.

Rationes eidem tertiæ æquales, sunt æquales inter se.

Hoc est, si sit A: B:: X: Z, & C: D:: X: Z; erit A: B:: C: D.

PROPOSITIO XII.

Si A, B, C, *singulæ rationem eandem habuerint ad singulas* F, I, L; *erit ut* A *ad* F, *ita complexum omnium* A, B, C, *ad complexum omnium* F, I, L.

Id est, si singulæ A, B, C sint *v. g.* triplæ singularum F, I, L erunt A, B, C simul sumptæ triplæ simul sumptarum F, I, L.

PROPOSITIO XV.

Partes similes sunt inter se, ut sua tota.

Patet; nam illæ dicuntur partes *similes*, quæ eodem modo continentur in suis totis; id est, quæ sunt totorum dimidia, tertiæ, quartæ &c.

PROPOSITIO XVI.

Si sit A: B:: C: D; *erit* (*permutando, id est comparando primum cum tertio, & secundum cum quarto*) A: C:: B: D.

Sint enim B & D *v. g.* minores quàm A & C; erit (*per* 15. *h*) ratio totorum A & C, eadem quæ partium similium B & D.

Corollarium.

Si sit A: B:: C: D; *erit* (*invertendo, id est comparando secundum cum primo, & quartum cum tertio*) B: A:: D: C.

Patet; nam si A continet B, sicut C continet D; B continetur in A, sicut D in C.

PROPOSITIO XVII.

Si sit A: B:: C: D; *erit* (*dividendo*) A − B: B:: C − D: D.

Nam A & C mulctatæ similibus partibus, retinent (*ut patet*) eandem rationem ad se invicem: ergo (*per* 15. *h*) & ad suas partes similes B & D.

PROPOSITIO XVIII.

Si sit A: B:: C: D; *erit* (*componendo*) A + B: B:: C + D: D.

Nam totæ A & C dum augentur partibus similibus [*per* 11. *h*] servant eandem proportionem inter se: ergo (*per* 15. *h*) & ad suas partes similes B & D.

PROPOSITIO XIX.

Si sit totum A *ad ablatum* B, *ut totum* C *ad ablatum* D; *erit* A: C:: A —B: C —D.

Nam si totis A & C auferantur partes similes B & D relinquentur partes similes A —B & C —D, quæ (*per* 15. *h*) sunt inter se, ut suæ totæ A & C.

Corollarium.

Si totum A *sit ad suî partem* B, *ut totum* C *ad suî partem* D; *erit* (*per conversionem rationis*) A: A —B:: C: C —D.

Nam [*per* 19. *h*] A: C:: A —B: C —D. Ergo (*permutando*) A: A —B:: C: C —D.

PROPOSITIO XXII.

Si sit A: B:: C: D, & B: E:: D: F; *erit* (*ex æquo ordinata*) A: E:: C: F.

Nam quia ponitur A: B:: C: D; erit (*permutando*) A: C:: B: D. Et quia ponitur B: E:: D: F; erit (*permutando*) B: D:: E: F. Ergo (*per* 11. *h*) A: C:: E: F, & (*permutando*) A: E:: C: F.

Corollarium.

Si sit A: B:: C: D, & E: F:: I: L; *erit* (*multiplicatis inter se utriusque Analogiæ terminis*) AE: BF:: CI: DL.

Hoc est rectangulum sub A & E erit ad rectang. sub B & F: ut rectang. sub C & I, ad rectang. sub D & L.

Nam (*per* 1. *l.* 6. quæ ab hac non dependet) BE: BF:: E: F, & DI: DL:: I: L. Sed [*ex suppos.*] E: F:: I: L. Ergo (*per* 11. *h*) BE: BF:: DI: DL.

Rursus [*per* 1. *l.* 6] AE: BE:: A: B, & CI: DI:: C: D. Sed (*ex suppos.*) A: B:: C: D. Ergo (*per* 11. *h*) AE: BE:: CI: DI.

Atqui (*ex dictis*) BE: BF:: DI: DL. Ergo (*ex æquo ordinata*) AE: BF:: CI: DL.

PROPOSITIO XXIII.

Si sit 1A: 2B:: 1D: 2F, & 2B: 3E:: 3C: 1D; *erit* (*ex æquo perturbata*) 1A: 3E:: 3C: 2F.

Fiat ut B ad E, ſic F ad aliquam aliam O.

Jam quia eſt [*ex ſuppoſ.*] A: B:: D: F, & (*ex conſtr.*) B: E:: F: O; erit (*per 22. h*) A: E:: D: O.

Rurſus quia ſunt (*ex ſuppoſ.*) B: E:: C: D, & [*ex conſtr.*] B: E:: F: O; erit [*per 11. h*] C: D:: F: O, & (*permutando*) C: F:: D: O.

Sed eſt (*ex diſtis*) A: E:: D: O. Ergo (*per 11. h*) A: E:: C: F.

PROPOSITIO XXIV.

Si ſit A: B:: C: D, & E: B:: F: D; *erit* A + E: B:: C + F: D.

Quia eſt [*ex ſuppoſ.*] E: B:: F: D; erit (*invertendo*) B: E:: D: F. Cùm igitur ſit (*ex ſuppoſ.*) A: B:: C: D, & (*ex diſtis*) B: E:: D: F; erit (*per 22. h*) A: E:: C: F. Ergo (*componendo*) A + E: E:: C + F: F. Sed etiam [*ex ſuppoſ.*] E: B:: F: D. Ergo [*per 22. h*] A + E: B:: C + F: D.

EX LIBRO SEXTO.

DEFINITIONES.

1. Figuræ dicuntur *ſimiles*, quæ ſibi mutuò ſunt æquiangulæ, & latera æqualibus angulis oppoſita habent proportionalia.

2. Figuræ ſunt *reciprocæ*, cùm in utraque antecedentes & conſequentes rationum termini fuerint. Sic in parallelogrammis X, Z, (*Vide Fig. Prop. 14.*) Antecedens AC: Conſequens OB:: Antecedens FO: Conſequens CL.

3. *Altitudo* figuræ eſt longitudo perpendiculi DC ab ejus vertice ad baſim ducti. Unde triangula æquè alta ſunt inter eaſdem parallelas: & è contrà.

4. Arcus ſunt *ſimiles* qui ad ſuas circumferentias eandem habent rationem.

PROPOSITIO I.

Triangula (ABC, MHO) *& Parallelogramma* [AB, MH] *habentia eandem altitudinem, ſunt inter ſe ut baſes.*

1. *Pars.* Sit MO tertia pars baſeos AC. Dividatur AC in tres partes æquales AD, DE, EC, & ducantur lineæ BD, BE.

Quia triangula ABD, DBE, EBC habent [*ex suppos.*] eandem altitudinem, & (*ex constr.*) baſes æquales, ſunt (*per 38. l. 1.*) inter ſe æqualia; & (ob eandem rationem) eorum quodvis æquatur triangulo MHO: ergo MHO eſt tertia pars totius ABC. Sed (*ex suppos.*) baſis MO eſt tertia pars baſeos AC: ergo triangula ABC, MHO ſunt inter ſe ut baſes AC, MO.

2. *Pars.* Cùm Parallelogramma AB, MH ſint (*per 41. l. 1.*) dupla triangulorum ABC, MHO; erunt etiam inter ſe ut baſes.

PROPOSITIO II.

Si in triangulo (ABC) *ducatur aliqua* (DF) *parallela ad unum latus* (AC) *ſecabit alia latera* (AB, BC) *proportionaliter; id eſt, erit* BD: DA:: BF: FC.

Ducantur AF, CD. Triangula DAF, DCF, habentia eandem baſim DF, & inter eaſdem parallelas DF, AC, ſunt (*per 37. l. 1.*) inter ſe æqualia: ergo (*per 7. l. 5.*) eandem rationem habent ad triangulum DBF. Sed (*per 1. b*) DAF: BDF:: DA: BD. & DCF: DBF:: FC: BF. Ergo (*per 11. l. 5.*) DA: BD:: FC: BF. & (*invertendo*) BD: DA:: BF: FC.



PROPOSITIO IV.

Triangula ſibi mutuò aquiangula ſunt ſimilia.

In triangulis ABC, MNO ſint æquales anguli B & N, A & M, C & O. Si angulus N ponatur ſuper æqualem B, latera NM, NO incident in latera BA, BC; & anguli NOM & BCA erunt (*ex suppoſ.*) æquales: ergo (*per 29. l. 1.*) AC & MO ſunt parallelæ: ergo (*per 2. b*) AM: MN:: CO: ON. Et (*componendo*) AN ſeu AB: MN:: CN ſeu CB: ON. Et (*permutando*) AB: CB:: MN: NO.



Corollaria.

Si in triangulo aliquo (ABC) *ducatur* (MO) *parallela ad*

latus aliquod (AC;) *sient duo triangula similia* (BMO, BAC.)

Nam angulus B est communis: & externi BMO, BOM (*per* 27. *l.* 1.) æquantur internis BAC, BCA: ergo triangula sunt æquiangula, adeoque similia.

2. *Si duo triangula* (ABC, MNO) *habeant quosvis duos angulos* (A & M, B & N) *æquales sunt similia.*

Nàm (*per* 5. *Corol. p.* 32. *l.* 1.) tertius angulus C æquatur tertio O: ergo &c.

PROPOSITIO V.

Si triangula (ABC, DEF) *habeant omnia latera sibi mutuò proportionalia, sunt sibi mutuò æquiangula.*

Sit *v. gr.* DE: BA:: EF: AC. & sint latera DE, DF majora quàm BA, BC. ex DE accipe DO æquale lateri BA, & per O duc OS parallelam lateri EF. erit (*per* 1. *Corol. p.* 4. *h*) ED: OD seu AB:: EF: OS. Sed (*ex suppos.*) ED: AB seu OD:: EF: AC. Ergo æqualia sunt OS & AC. Similiter ostendam DS & BC esse æqualia: ergo triangula ODS, ABC sunt sibi mutuò æquilatera; adeoque (*per* 8. *l.* 1.) etiam æquiangula. Sed ODS, EDF (*ut patet ex* 27. *l.* 1.) sunt æquiangula: ergo EDF, ABC sunt æquiangula.



PROPOSITIO VI.

Si triangula (EDF, BAC) *habeant circa angulos æquales* (D & A) *latera* (ED, FD, AB, AC) *proportionalia, id est,* ED: AB:: FD: AC vel FD: AC:: ED: AB; *triangula sunt similia.*

Si angulus A ponatur super æqualem D, AB cadet in DE, & AC in DF. Jam si BC, EF sint parallelæ, triangula (*per* 1. *Corol. p.* 4. *h*) sunt similia. Si neges esse parallelas, ducatur CR Parallela ad EF: ergo (*per* 1. *Corol. p.* 4. *h*) FD: CD seu CA:: ED: RD. Sed (*ex suppos.*) FD: CA:: ED: BA seu BD. Ergo æqualia sunt RD, BD, totum & pars, quod est absurdum.



PROPOSITIO IX.

Rectam (BF) *secare secundum proportionem datam* (LC ad CB.)



Datis BF, BL, constitutis ad angulum quemvis FBL, ducatur FL, cique parallela AC: erit (*per* 1. *Corol. p.* 4. *h*) FA: AB:: LC: CB.

PROPOSITIO XI.

Rectis (AB, BC) *invenire tertiam proportionalem.*

Ex AB productâ accipe BF æqualem datæ BC, & per A & F duc parallelas AC, FL. erit (*per* 1. *Corol. p.* 4. *h*) AB: BC:: BF seu BC: BL.

PROPOSITIO XII.

Datis tribus [BA, BC, BF] *invenire quartam proportionalem.*

Ductis AC, FL parallelis, erit AB: BC:: BF: BL.

PROPOSITIO XIII.

Datis duabus rectis [IB, BF] *invenire mediam proportionalem.*

Totâ compositâ IF bisectâ in A, centro A, describe circulum per I & F, & ex B erige perpendicularem BE occurrentem circulo in E. erit IB: BE:: BE: BF.



Ducantur IE, EF. In triangulis IEF, IEB, recti sunt, adeoque æquales, angulus E [*per* 31. *l.* 3.] & angulus B (*per constr.*) & angulus I communis: ergo (*per* 9. *Corol. p.* 32. *l.* 1.) triangula IEF, IBE sunt æquiangula. Similiter in triangulis IEF, FBE, anguli E & B sunt recti, & F communis: ergo triangula IEF, FBE sunt æquiangula: ergo (*per ex.* 1.) triangula IBE, FBE sunt æquiangula, adeoque (*per* 4. *h*) similia: ergo IB: BE:: BE: BF.

Corollaria.

1. In triangulo rectangulo perpendicularis (EB) secat

triangulum (IEF) in partes (IEB, EFB) rect. & inter se similes.

2. EB est media proportionalis inter IB, BF; & EF inter IF, BF; & IE inter IF, IB.

3. Hinc habetur alius modus facilis inveniendi mediam proportionalem inter duas datas, *v. g.* IF & IB. Bisectâ majore IF, per I & F duc semicirculum; & IB posito super IF ex I in B, à puncto B excita perpendiculum BE ad peripheriam terminatum. Ducatur denique IE, & erit (ut ostensum est) IB: IE:: IE: IF.

PROPOSITIO XIV. & XV.

Æqualia Parallelogramma (AILC, FOBS) *& triangula* (FAC, OLB) *habentia unum angulum* (L) *uni* (O) *æquali, habent latera circa æquales angulos reciproca; id est*, AC: OB:: FO: CL.

Et quæ latera habent reciproca, sunt æqualia.

XIV. 1. *Pars.* SB, IL productæ concurrant in Q, sintque tria parallelogramma X, Z, R. *Per* 1. *h.* X: R:: AC: OB; & Z: R:: FO: CL. Sed quia sunt (*ex suppos.*) æqualia X & Z, est (*per* 7. *l.* 5.) X: R:: Z: R; ergo (*per* 11. *l.* 5.) AC: OB:: FO: CL.



2. *Pars.* Est (*per* 1. *h*) X: R:: AC: OB; & Z: R:: FO: CL. Sed (*ex suppos.*) AC: OB:: FO: CL: ergo (*per* 11. *l.* 5.) X: R:: Z: R. Ergo (*per* 9. *l.* 5.) X & Z sunt æqualia.

XV. Ducatur AL, & similiter demonstres in triangulis FAC, OLB, esse AC: OB:: OL: FC.

PROPOSITIO XVI.

Si quatuor recta (AC, OB, FO, LC) *sint proportionalia, rectangulum* (X) *sub extremis* (AC, LC) *æquatur rectangulo* (Z) *sub mediis* (OB, FO.)

Patet (*ex.* 14. *h*;) nam habebunt latera reciproca; est enim (*ex suppos.*) AC: OB:: FO: LC.

Corollarium.

Si in circulo se secuerint duæ rectæ (CL, BF) *rectangulum*

(COL) *sub segmentis unius æquatur rectangulo* (BOF) *sub segmentis alterius.*

Ducantur CF, BL. Angulus F (*per* 21. *l.* 3.) æquatur angulo L insistenti eidem arcui CB, & anguli ad O (*per* 15. *l.* 1.) sunt æquales: ergo (*per* 2. *Corol. p.* 4. *h*) CO: OF:: BO: OL. Ergo (*per* 16. *h*) rectangulum sub CO, OL æquatur rectangulo sub OF, BO.



PROPOSITIO XVII.

Si tres rectæ (AB, FL BC) *sint proportionales, rectangulum sub extremis* (AB, BC) *æquatur quadrato mediæ* (FL.)



Accipe LO æqualem FL, & erit (*per* 7. *l.* 5.) AB: FL:: LO: BC. Ergo [*per* 16. *h*] rectangulum sub AB, BC æquale est rectangulo sub FL, LO, id est [*per def.* 32. *l.* 1.] quadrato FL.

Corollaria.

Si ex puncto (D) *extra circulum posito ducatur tangens* (DB) *& utcunque secans* [DA] *erit quadratum tangentis* (DB) *æquale rectangulo* [ADC] *sub tota secante* (DA) *& parte* [DC] *extra circulum.*



Ducantur BC, BA. In triangulis ADB, BCD, angulus D communis est, & angulus DBC (*per* 32. *l.* 3.) æqualis angulo BAD in segmento alterno: ergo (*per* 2. *Corol. p.* 4. *h*) DA: DB:: DB: DC: ergo (*per* 17. *h*) rectangulum ADC æquatur quadrato DB.

2. *Duæ rectæ quæ ex eodem puncto* [D] *circulum tangunt, sunt æquales.*

Nam earum quadrata æquantur singula eidem rectangulo ADC.

3. *Quotcunque circulum secent ex eodem puncto* [D] *omnia rectangula erunt æqualia.*

Nam singula æquantur quadrato DB.

PROPOSITIO XIX.

Triangulorum similium [ABC, FLI] *proportio est duplicata proportionis laterum* (AC, FI) *æqualibus angulis* (B, L) *subtensorum.*

Hoc

Hoc eſt ſi fiat ut AC ad FI, ſic FI ad AQ; erit ABC: FLI:: AC: AQ.

Quia triangula ponuntur ſimilia, eſt (*per 4. h*) AB: IL:: AC: IF. Id eſt (*per conſtr.*) ut IF ad AQ. Ergo in triangulis QBA, FLI latera circa æquales angulos A & I ſunt reciproca. Ergo (*per 15. h*) QBA, FLI ſunt æqualia: ſed (*per 1. h*) ABC: QBA:: AC: AQ. Ergo (*per 7. l. 5.*) ABC: FLI:: AC: AQ.

PROPOSITIO XX.

PARS PRIMA.

Polygona ſimilia dividuntur in ſimilia triangula.

Ducantur rectæ AC, AD, FH, FI. In triangulis P, S, anguli B & G (*per 1. def. h*) ſunt æquales, & BA: GF:: BC: GH. Ergo (*per 6. h*) P & S ſunt ſimilia: ergo (*per 1. def. h*) anguli BCA, GHF ſunt æquales: ergo his ſubductis ex angulis BCD, GHI (*per 1. def. h*) æqualibus, reſtant anguli ACD, FHI æquales. Dein (*per 4. h*) AC: FH:: BC: GH. Sed (*ex ſuppoſ.*) BC: GH:: CD: HI. Ergo (*per 11. l. 5.*) AC: FH:: CD: HI. Ergo (*per 6. h*) triangula Q & T ſunt ſimilia. Eodem modo oſtendas R & V, & quotquot fuerint, eſſe ſimilia.



PARS SECUNDA.

Polygona ſimilia ſunt ad ſe invicem in proportione duplicata laterum (AB, FG) *inter æquales angulos exiſtentium.*

Quia triangula P, S, & Q, T, & R, V, ſunt ſimilia, Ratio P ad S (*per 19. h*) eſt duplicata rationis AB ad FG; & Ratio Q ad T duplicata rationis CD ad HI; & Ratio R ad V duplicata rationis DE ad IK: ergo (*per 12. l. 5.*) Ratio omnium P, Q, R, ad omnia S, T, V, id eſt Polygoni ad Polygonum, eſt duplicata rationis laterum AB, CD, DE ad FG, HI, IK, id eſt (quia hæc latera ſupponuntur homologa) duplicata rationis AB ad FG.

PROPOSITIO XXIII.

In circulis æqualibus anguli, sive ad centrum, sive ad peripheriam sunt inter se ut arcus subtensi.

De angulis ad centrum demonstratur eodem modo quo prima hujus; tantùm loco Prop. 38. l. 1. citetur 29. l. 3.

Quoniam verò anguli ad centrum dupli sunt angulorum ad peripheriam; quod de illis ostenditur, de his etiam verum est.

EX LIBRO UNDECIMO.

Ex Libro hoc delegi, quæ ad Trigonometriam Sphæricam sunt maximè necessaria; adjecique nonnulla, quæ videbantur in Euclide desiderari.

DEFINITIONES.



3. Linea (AB) dicitur *Rectus* seu *Perpendicularis plano* (DD) si cum omnibus lineis (BD) in plano ductis, à quibus tangitur, efficiat angulos rectos (ABD, ABD.)

Ut linea aliqua sciatur esse plano rectæ, satis est quòd cognoscatur esse perpendicularis duabus rectis in plano intersecantibus, ut perspicuum fiet *Prop. 4. h.*

4. Planum est *Rectum* seu *Perpendiculare plano*, si omnes rectæ (CD) in uno plano (FB) ductæ perpendiculariter ad sectionem communem (AB) sint alterius plano (EB) perpendiculares. Ex hac definitione sequitur, quòd quandocunque planum plano infinitè perpendiculariter, non possit in eorum uno duci linea perpendicularis ad planorum sectionem communem, quin recta sit alteri plano: imò nec duci possit in uno plano aliqua (MS) perpendicularis lineæ (BS) ductæ in altero plano obliquè ad sectionem communem (FD), quin illa (MS) sit alteri plano (CD) perpendicularis.



Ducatur BO perpendiculariter ad sectionem communem; factâque MS æquali ipsi BO, ducantur etiam MO, MB.

Nunc in triangulis MSB, MOB, angulus MSB est (*ex suppos.*) rectus, sicut & (*per hanc & præced. def.*) angulus MOB; latus MB commune, & latera MS, BO (*ex constr.*) æqualia. Ergo (*per 4. Corol. p. 47. l. 1.*) tertium latus MO æquatur tertio BS. Ergo in triangulis MOS, BOS habentur MS & BO, item MO & BS æqualia, & tertium (seu distantia OS) commune: ergo (*per 8. l. 1.*) angulus MSO æquatur angulo BOS (*ex constr.*) recto: ergo MS est perpendicularis sectioni communi FD, adeoque & plano CD.

6. Plani ad planum inclinatio est angulus acutus (AOB,) quem efficiunt rectæ (AO, BO) in utroque plano ductæ perpendiculariter ad sectionem planorum communem.



PROPOSITIO I.

Non potest linea recta una pars esse in plano, altera extra idem planum.

Patet ex defin. lineæ rectæ & plani; nam utrumque ducitur per viam brevissimam, quæ unica est inter eosdem terminos.

PROPOSITIO II.

Omne triangulum in uno est plano, & duæ rectæ se mutuò secantes sunt in eodem plano.

1. *Pars.* Si trianguli CBE aliqua pars FEB non sit in eodem plano, quo altera CEF; rectæ CB una pars CF erit in plano CFE, alia FB extra idem planum. Sed hoc est contra 1. *h.* Ergo &c.

2. *Pars.* Quia triangulum CBE est in uno plano, rectæ CE, BE, adeoque (*per 1. h*) totæ CD, BA sunt in eodem plano.

Corollarium.

Ex eodem puncto (C) *non possunt erigi duæ* (CA, CR) *perpendiculares ad idem planum* [EN.]

Nam ducto per illas plano MN, anguli RCN, ACN (*per 3. def. h*) erunt recti, adeoque æquales, quod est absurdum.

PROPOSITIO III.

Si duo plana (AG, AP) *se mutuò secuerint, sectio communis* (AB) *erit linea recta.*

Si neges; à puncto A ad B duc in plano AG rectam AOB, & in plano AP rectam ASB; sic duæ rectæ AOB, ASB spatium includent; quod est absurdum.

PROPOSITIO IV.

Si linea (AB) *sit recta duabus* (FP, GD) *se mutuò secantibus, est recta plano* (FGPD) *per ipsas ducto.*

Si neges; per B transeat planum RS, cui AB sit recta; & per lineas AB, BG ducatur aliud planum triangulare ARB secans planum RS alicubi in RB. Erit angulus ABR (*per 3. def. h*) rectus, adeoque æqualis angulo ABG (*ex suppos.*) recto; quod est absurdum.

PROPOSITIO VI.

Si linea (AC, BD) *sint eidem plano rectæ, sunt parallelæ.*

Super CD erigatur planum MN rectum plano EF. Jam si AC, BD non essent in plano MN, possent ex C & D erigi in plano MN aliæ perpendiculares plano EF; sicque ab eodem puncto possent excitari duæ perpendiculares eidem plano; quod est contra *Corol. p. 2. h.* Ergo sunt in plano MN. Cùm igitur anguli ACD, BDC sint (*per 3. def. h*) recti, lineæ AC, BD (*per 29. l. 1.*) sunt parallelæ.



PROPOSITIO VIII.

Si Parallelarum (AC, BD) *una* (BD) *sit recta plano* EF) *altera* (AC) *erit eidem recta.*

Super CD erigatur planum MN rectum plano EF. Quod BD, cùm sit (*ex suppos.*) recta plano EF, sit in plano MN,

oſtenditur ut in *Prop. 6. h.* Ergo cùm AC, BD ponantur parallelæ, etiam AC (*per 36. def. l. 1.*) erit in plano MN. Jam ſi AC non ſit recta plano EF, ex C erigatur CR in plano MN recta plano EF. Erunt (*per 6. h.*) CR, DB parallelæ: ergo (*per 30. l. 1.*) CR eſt etiam parallela ad AC: ergo duæ parallelæ CR, AC concurrunt in C; quod eſt abſurdum.

PROPOSITIO IX.

Rectæ (AB, EF) *ſi ſint eidem* (CD) *parallelæ, licèt non ſint omnes in eodem plano, ſunt inter ſe parallelæ.*

Rectas AB, EF, CD ſecet planum OKH, cui perpendicularis ſit CD: erunt (*per 8. h.*) etiam AB, EF eidem plano rectæ: ergo (*per 6. h.*) ſunt inter ſe parallelæ.

PROPOSITIO X.

Si duæ rectæ (AB, AC) *ſint duabus* (DE, DF) *parallelæ; utſi in planis diverſis, faciunt angulos* (A & D) *æquales.*

Fiant æquales AB & DE, AC & DF; & ducantur AD, CF, BE, CB, FE. Quia AB, DE ſunt æquales (*ex conſtr.*) & (*ex ſuppoſ.*) parallelæ, AD, BE ſunt (*per 33. l. 1.*) æquales & parallelæ: item quia AC, DF ſunt parallelæ & æquales, AD, CF ſunt (*per 33. l. 1.*) parallelæ & æquales: ergo BE, CF ſunt (*per ax. 1.*) æquales, & (*per 9. h.*) parallelæ: ergo (*per 33. l. 1.*) CB, FE ſunt parallelæ & æquales: ergo triangula BAC, EDF ſunt ſibi mutuò æquilatera: ergo (*per 8. l. 1.*) anguli BAC, EDF ſunt æquales.



PROPOSITIO XIII.

Linea ex eodem puncto ducta nequeunt amba ad idem plagium eſſe recta.

Vide Corol. p. 2. h.

PROPOSITIO XIV.

Si eadem recta (AG. Vide Fig. Prop. 15.) *ſit duobus planis* (BC, EF) *perpendicularis; plana ſunt parallela.*

Patet; nam planum unum BC non potest ad aliud EF inclinari, quin inclinetur ad rectam AG inter plana interceptam, quæ proinde non erit perpendicularis.

PROPOSITIO XV.

Si duæ rectæ (BA, GA) *se mutuò tangentes, ad totidem* (ED, FD) *se mutuò tangentes, sint parallelæ; plana per istas ductæ erunt parallela.*

Ex A ducatur AG recta plano EF, & ponantur GH, GI parallelæ ad DE, DF. Erunt (*per 9. h*) GH, GI etiam parallelæ ad AB, AC. Cùm igitur anguli IGA, HGA (*per 3. def. h*) sint recti, erunt (*per 27. l. 1.*) anguli CAG, BAG recti; ergo (*per 4. h*) AG est recta plano BC: sed (*ex constr.*) est etiam recta plano EF: ergo (*per 14. h*) plana BC, EF sunt parallela.

PROPOSITIO XVI.

Si planum (FONE) *secet plana parallela* (AD, CB,) *facit sectiones* (FO, EN) *parallelas.*



Nam si non sint parallelæ, cùm sint in eodem plano FONE, productæ alicubi concurrent, adeoque concurrent etiam plana parallela AD, CB, in quibus istæ lineæ FO, EN existunt; quod est absurdum.

Corollarium.

Si duo plana (AD, CB) *fuerint parallela, & in eorum uno* (AD) *ducatur recta* (FO) *& huic* (FO) *altera parallela* (EN,) *cujus extremum* (E) *sit in alio plano* (CB;) *erit tota* (EN) *in hoc plano* (CB.)

Per rectas FO, EN, ducatur planum FONE, & producatur donec secet planum CB. Erit EN sectio planorum CB, FONE; adeoque parallela ad FO. Si neges; sit EX illa sectio: ergo (*per 16. h*) EX, FO sunt parallelæ. Sed (*ex supp.*) FO, EN sunt parallelæ: ergo (*per 30. l. 1.*) EX, EN, sunt parallelæ: quod est absurdum, cùm concurrant in E.

PROPOSITIO XVIII.

Si recta (AB) *ſit perpendicularis plano* (MN) *omnia plana per ipſam* (AB) *ducta ſunt iſti plano* (MN) *perpendicularia.*



Per AB tranſeat planum FP, in quo ducantur quotcunque ZX, RS parallelæ ad AB. Erunt ZX, RS (*per* 8. *h*) rectæ plano MN: ergo (*per* 4. *def. h*) planum FP eſt eidem rectum.

PROPOSITIO XIX.

Si plana (MN, PF) *ſe mutuò ſecantia ſint recta plano* (XZ) *eorum ſectio communis* (OA) *eſt eidem* (XZ) *perpendicularis.*



Si neges; ducatur ex O in plano MN recta OB, & in plano PF recta OC, perpendiculares ad XZ. Erunt (*per* 6. *h*) OB, OC parallelæ; quod eſt abſurdum, cùm ſe tangant in O.

Corollarium.

Si per duo plana (AB, AC) *ad ſe mutuò inclinata ducatur aliud* (BOS) *eorum uni* (AC) *rectum, ſecabit utrumque* (AB, AC) *vel neutrum, perpendiculariter ad eorum ſectionem communem* (AM.)

Si neges; ſecet planum AB in BS perpendiculariter, & AC in OS obliquè ad ſectionem communem AM. Ex S erigatur SD in plano AC perpendicularis ad AM. Jam quia AM eſt ad BS (*ex ſuppoſ.*) & ad SD (*ex conſtr.*) recta; eſt (*per* 4. *h*) recta plano BSD: ergo planum AC (*per* 18. *h*) eſt rectum plano BSD. Sed idem AC eſt [*ex ſuppoſ.*] rectum plano BOS: ergo planorum BSD, BOS ſectio communis BS eſt (*per* 19. *h*) recta plano AC: ergo (*per* 18. *h*) planum AB eſt rectum plano AC, ad quod ſupponitur inclinatum; quod eſt abſurdum. Ergo &c.



FINIS.

Pag.	Lin.	Errata.	Corrige.
12.	34. & 35.	AMC,	AMB.
18.	33.	Io,	Io, o:
29.	18.	*l.* 1.	*l.* 6.
34.	1.	& his	Ex his.
42.	2.	*Prop.* 9. 15.	*Omnia.*
44.	22.	concurrant.	concurrent.
52.	23.	(*per* 23. *l.* 1.)	(*per* 29. *l.* 3.)
68.	3.	(*per* 1, *c.* 1. *h*)	(*per* 1. *c.* 2. *h*)
69.	37.	(*per* 2. *Cor.*)	(*per* 3. *Cor.*)
132.	2.	BC in.	BC utcunque in
Ibid.	3.	EF.	BC
134.	3.	per E.	per D & E
150.	2.	(*p.* 17. *b*)	(*per* 16. *b*)
151.	16.	quantitatem.	quantitate,
Ibid.	21.	A =	A = B.



Prætereà hæ Figuræ apponi debuerant pag. 15. *Notando.* 2. cui Figuræ ibidem positæ non satis congruunt.